SIMONIS STAROVOLSCII
De Rebus SIGISMVNDI PRIMI, POLONIARVM REGIS INVICTISSIMI VIRtute & auspicio, gestis.
LIBRI QVATVOR.



CRACOVIÆ,

In Officina LAZARI, Matth: Andreouień. excussit. Anno 1616.

IN ARMA
Regnorum Poloniæ, Sueciæ, & Magni Ducatus Lith.



I. M. KROLEWICA POL.

ALes grata Ioui cælo te credis aperto.
Meſſes faſciculo in proſperitate parans.
Armatus Miles probat id, trinæq; Coronæ:
Vt cum pace ferax ardua regna petas.
Ærgo caput nexu concordi iungito binum:
Vnitum robur proſpera ſceptra gerat.

SERENISSIMO PRINCIPI

CAZIMIRO

Potētiſſimi Regis Poloniæ & Sueciæ, Sigiſmundi III. FILIO.



Mplū & illuſtre munus eſt SERENISSIME PRINCEPS, inter homines, vnum præeſſe pluribus; eosque rationis moderamine ad omne genus honeſtatis flectere, ac in officio virtutum continere. Nam quod ſupremum illud Numen in toto vniuerſo præſtat, dum aſtra vſibus hominum facit deſeruire; hoc in ſuo Principatu ille, dum ſalutariter & ad vſum Boni publici omnia inclinat, & dirigit ſingulos. Proinde diuinitas quædam elucere videtur in eis, qui

difficilimum hominis in hominem haben-
tes imperium, laudabiliter hoc munere
functi, & defuncti. Age verò, etſi permul
ta hiſtoria Polona, Regum Regniq́ue Opti-
matum in ſe, præclara facinora contineat,
quæ poſteris vſque ſeculis ſacrata ſeruat:
tamen haud omnino contemnendum in-
ter ea ſplendorem habet Iagelloniæ ſtirpis
virtus auguſtiſſima, ex cuius ſerie vt vita
ille inclytus, ſic armis & moribus optimus
Princeps SIGISMVNDVS PRIMVS Proauus
tuus enituit: qui quantus vir belli domi-
q́ue fuerit, plenæ ſunt librorum officinæ,
plena fora, pleni hominum aceruí; quem
vt beneficum & ſalutare quoddam numẽ
aſpiciebant omnes, & venerabantur, inter
amorem timoremq́ue dubij, Dominumné
ſalutent an Patrem? quoquò enim ſe ver-
tit, iuſtitia eum & pax ſequebatur, ſalus
Reipublicæ concomitabatur. Hic igitur
quàm magnus? quàm felix rebus geſtis?
non

non opis est meæ sufficienter explicare, sed saltem admirari: Etenim regnum turbidis illis temporibus & seditioni factis firmiter ad senectutem vsque tenuit, & suis postmodū successoribus administrandum reliquit. Prospera multa bello gessit, & victorias inclytas peperit, exteris etiam nationibus admirandas: Crucigerorum nanque cœtum, longa mole fundatum: & Polonâ potētiâ vix euersum, tota Prussia eiecit: Valachos fregit, & fortiter cōminuit, immanes Scythas, Turcas & Moscouitas regni fines infestantes reppulit, & in triumphum duxit; omnia deniq; cælo & titulo suo digna edidit. Vnde Elogium ei omnes, qui de reb⁹ sobrie iudicāt à Boleslao Criuousto acceptant & asscribunt. Maiorē virtute & fortunâ Principē Poloniā nō habuisse, nec fortasse hac temporum iniquitate habituram. Quocirca huius ego excelsas & diuinas propé virtutes admiratus, præclarâ fa-

ra facinora veluti floſculos reſperſos, ex ſcriptitantium hortis, Parentiſq́ue mei, memoria colligere, & peculiari volumine cõplexa ſub, Tuo inclyto patrocinio celebrare inſtitui. Tuo, inquam, qui ſtirpem & gentem tuam, ſacratiſſimis diuinarum legum inſtitutis cumulatè exornatam in ijs agnoſces, & honeſtâ æmulatione perculſus, ceu Themiſtocles Miltiadæ trophæis excitatus, ſerió agitare, magnus magis incipies, tuoſq́ue Polonos (proh iam ignauos) ad honeſtam ambitionem & nomen, vel his ſtimulis eriges. Nam ſemper Regum exempla ſubditi æmulantur, nõ modoq́ue maiorum facta creſcere & inclareſcere ſinunt, ſed cupiunt itidem & ipſi apud poſteros in bona fama & gloria eſſe. Hoc ipſum velim & te quoque amare ac cogitare Princeps Sereniſſime: namque alia alijs communia & adipiſcenda, bona autem fama, non niſi magnis quibuſque & in fa-

in faſtigio collocatis conuenit. At nunc puer ad ſumma quæque nate, laudis cupidinem in doctrinæ ſtudio, ex qua magnitudo animi oritur, repone; & paululùm acquieſce, affatim Deus & fata, materiem gloriæ tuæ in ſpem Patriæ, & Boni publici incrementum, bonis quibuſque inijcient & ſuppeditabunt. Voueo.

Ad Lectorem.

QVod alij sparsim aut summatim, hoc ego planè & plenè tibi perscripsi, Candide Lector, non vanitatis aut ambitionis causa, vt multi iudicant priusquam legerint, sed vt res nostrorum hominum literis Latinis (licet eximios multos hæc ætas scriptores ferat) illustrarem, quas præ reliquis sufficientius elegantiusque Ioachimus Bielski patrio sermone complexus est. Velim itaque eas à te æquo lectore æquiter legi & perlegi, sed & oculos seriò intendi in finem meum & scopum; qui non alius est, quam vt ab exemplis factisquæ illustribus maiorum, posteri hisce turbulentis temporibus, potentiam & prudentiam suam forment. Addidi præterea, Magnanimi illius Iuoniæ breuem dominatum; in quo mutationum exempla, & hunc nascendi pereundiq; fatalem gyrum, tuo commodo pernosces.

SIMONIS STAROVOLSCII

DE REBVS SIGISMVNDI PRIMI, REGIS POLONIARVM INVICTISSIMI, virtute & auspicio gestis.

LIBER PRIMVS.



VLADISLAVS IAGELLO, Rex Poloniarum fortunatissimus, is qui primus antiquorum superstitiosis erroribus detractis, lumē veritatis nostræ Lithuanis infudit, eosque Regno ac insignibus Polonorum adiunxit; morti iam vicinus, & spiritu ac vita abeūte, eximia indole filios VLADISLAVM & CAZIMIRVM, Proceribus Regni commendauit, & vt alterum in Ducem Lithuaniæ, alterum verò in Regem Poloniæ sufficerent, rogauit: atque impetrauit. Ac VLADISLAVS quidem, non Poloniæ

modò paternũ regnum obtinuit, verùmetiam Pannoniæ electione delatum: fuit enim adolescens ingentis ſpiritus, & ſcientia rei militaris adeò clarus, vt Turcis & barbaris quibuſq; maximè formidabilis extiterit, cum quibus ſecundis aliquot prælijs habitis, vitam demum in acie ad Varnam poſuit, & religioni pro qua & arma ſuſceperat, libentiſſimè donauit. Huic poſtmodũ frater CAZIMIRVS ſucceſſit, & longo tempore Polonicum Regnum adminiſtrauit, relictaque felici ac numeroſa prole (VLADISLAO Hungariæ & Bohemiæ Rege: CAZIMIRO, cui Diui prænomen virtus & merita pepererunt, ac nunc Vilnæ innumeris claret miraculis; necnõ IOANNE ALBERTO, ſimulque ALEXANDRO, SIGISMVNDO, Regibus Poloniæ, & FRIDERICO Cardinali) victoriis & vita illuſtris ſupremum diem obijt. Hi omnes & ſi magna ac laudabilia facinora geſſêre, tamen Sigiſmundi Regis facta, admirationẽ inprimis afferre aſſolent, qui cum alia multa memoratu digna geſſit, tum magnum atque opulentum illum Moſcouitarum Prin-

rum Principem Basilium singulari virtute perdomuit. Magistrum Prussiæ sustulit, & amplum illum Ducatum sibi posterisque firmiter subiecit. Quocirca res eius, etsi nō plebeiæ voces, sed seria Annalium testimonia celebrent, & posteritati idiomate vernaculo iampridem commendatas habeant; tamen vt eò magis, præstantia maiorum nostrorum facta ab interitu vindicemus, posterorum verò vel his stimulis ad tam alta & seria animos emulatione erigamus, quantùm in me fuerit, illustrare hunc magnanimum bello Ducem atque optimum pace Regem, institui.

Mortuo itaque ALEXANDRO Polonorum Rege, Sigismūdus frater, Sylesiæ tunc Princeps imperium animo agitabat, & vt perueniret Vilnam citato cursu properabat, à qua duodecim tantùm miliaribus aberat, cū ei Michaël Glinscius septingentis equitibus stipatus obuiam gratulabundus processit, seque à Proceribus Lithuaniæ iniquè esse delatum, quasi de possidendo Ducatu quidpiam moliretur, excusans,

pollicitus est hæreditario Principi se fidelē subditum futurum. Cui Sigismundus, *suam eum gratiam iam pridem consecutum esse, ob egregiæ virtutis famam* respondit, *modò in ea pergeret, maioraque meritis præmia, quam sibi animo proposuerat expectaret, si promissa fidēter præstiterit.* Pergenti tandem Sigismundo vniuersa Optimatum turba honoris gratia obuiam est progressa; MAGNVMQVE DVCEM LITVANIÆ, illum salutauit, ac circumfusum multitudine in vrbem honorificè deduxit; vbi paratis omnibus ad exequias Regi defuncto necessarijs, regali pompa ac sumptu in Diui Stanislai Basilica funus persolutum. Interea verò turbæ ac fluctus in Poloniâ, vt in naui rectore vacua: boniqúe omnes in præsenti & futuro metu, iustitia tunc & legibus (vt in Interregnis fieri solet) silētibus, & præsertim in eligentium dissensu, à quibus post multa tandem dissidia, dies electioni dicta & locus captus Petricouiæ; vbi magna expectatio, concursus, aperta & occulta vota aut metus. Sed dum hîc electio pendet, Lithuaniæ optima-

optimates eam occupare, & ſui beneficij Principem habere, præter fœdus voluerunt, indictoque ordinibus Vilnã conuentu, Sigiſmundũ Ducem Lithuaniæ appellârunt, & crearunt, adhibitis ceremoniis ac ſolennibus patrijs. Albertus Tabor Epiſcopus Vilnenſis, diadema ducale rubei holoſerici & vnionibus diſtinctum, more vetuſto capiti eius impoſuit. Michaël verò Glinſcius Marſchalci officio fungens, gladium euaginatum porrexit, præſtiteruntque exin proceres ac terrarum legati obedientiæ iuramẽtum, cum quibus extemplò Sigiſmundus in Podlachiam iter arripit, nixus vt putabatur occulto fauore & gratia nobilium, quos in partes ſola parſimonia traxerat, cum ſuperiores ſua liberalitate nimiùm publicum ærarium extenuauiſſent, maximè autem Alexander nuperrimè defunctus. Ergo & Procerum quidam, operam ac fidem, turbarum pertæſi, obtulerũt in conuentu particulari Mielnicenſi congregati, vbi omnium non ſtudia ſed aperta ſuffragia in eum ibant. Incitabatq; eos ad id non ipſe ſolùm æui

maturus, & virtutum (vt res gestæ testabãtur) spectatus, quod præcipuè in optima electione obseruandum est, sed & caritas subditorum in genitum & sanguine Principem, tum & illa certa iam Lithuanici Ducatûs possessio. Itaq; coniecti in eum oculi vulgi & Procerum Petricouiæ huic rei degentium, qui de communi consensu, ipso die Conceptionis immaculatæ Virginis, per Archipræsulem Gnesnensem REGEM declararunt & salutârunt. Moxq; Vincentium Prerembscium Vladislauieñ. Ioannem Lubranscium Posnanieñ. Matthiam Dreuicium Præmislieñ Episcopos. Andream Samotulsciũ Posnaniensem, Ioannem Tarnouium Belzensem, Palatinos: ac Ioannem Lascium Cancellarium, viros doctrinâ & prudentiâ conspicuos ex publico decreto, post vota & acclamationes fausta precantium ad eum mittunt; qui properis itineribus profecti comitia Mielnicię celebrantem inueniunt, & mandata exponunt, populi studia & in virtutes eius inclinationem, illumq; ipsum vt carissimum & dignissimum hæredem
Principem

Principem depoſcūt. Ille talibus nuncijs lætus, protinus in Poloniam proficiſcitur, ſummo omnium gaudio & conſenſu excipitur, Viſtulaq́; ad Rozinicium ſuperata, ampliſſima nobilium & Senatorum corona cinctus, Cracouiam ingreditur menſe Ianuario (fuit autem hic annus ab ortu Chriſti Dei noſtri ſeptimus & quingenteſimus ſupra milleſimum) & mox coronam Regni ſolenni ritu accipit, inungente Andrea Roza Archiepiſcopo Gneſnenſi, & aſtantibus Principum Chriſtianorum ſeu vicinorū Oratoribus, inter quos & fratris Vladiſlai Bohemiæ ac Hungariæ Regis Stephanus Telecki erat; aderat quoque & electioni Oſualdus Karlacius ab illo miſſus, iura & ſceptra regni Sigiſmundo licet in libera electione concedens & confirmans. Poſtridie autem coronationis, paratur in medio foro paulò eminentior locus, purpura pictiſq́; ſericis inſtratus, & in eo ſella regia æquè exornata; quam Sigiſmundus, cultu ornatuq́; regali decorus, ac longè virtute conſpicuus, conſcendens, iuramentum fidelitatis, & claues vrbis à

Rozinic

1507.

ciuibus pro more recepit, priuilegijs, libertatibus, honoribus, equestriq; prærogatiua quenque donando. Iam verò solennitatibus huiusmodi & Coronatione Regis absoluta, Stephanus Vladislai legatus petitâ à Sigismundo venia rectà in Valachiam profectus, pacem ac societatem inter Reges & Bogdanum Valachiæ Palatinum, Poloniam inuadere parantem componit, publicis monumẽtis firmat, & regi suo subscribere cupienti in Hungariam defert; Ad quẽ ex eodem coronationis conuentu, à Sigismundo ablegati, Ioannes Lubranscius Posnaniensiũ Antistes, Stanislaus à Chodecz Regni Marschalcus, Ioannes Lascius Cancellarius, & Christophorus Sydlouecius Castellanus Sendomirieñ viri in agendis rebus latè cogniti, pacta cõmunia, communeque auxilium in eos qui Regnorum finibus bellum inferre tentarent, & illa hostiliter lacessere vellent, statuerunt. Sigismundus quoque ipse antequam Vilna in Poloniam diuerteret, fœdus cum Scytharum Perecopensium Duce sanciuit, concessis ei quindecim florenorum

renorum millibus ſtipendij loco annuatim, ea conditione, vt ſemper ſit in armis paratus, quoquò modo neceſſitas Regni poſtulauerit, hoſteſque perpetuò Polonorum, tanquam proprios inimicos infeſtet, & à finibus propulſet. Hæc dum in Polonia aguntur, Scythæ Zauolgenſes interregnum adhuc & cõfuſionem durare rati, quod ſæpè illud hebdomadas, menſes, annos manet, incurſionem in Ruſſiam, Podoliamque faciunt, longè latèq; depopulantur, exindeque magna præda onuſti abſcedũt, ad quos reprimendos & inſequendos, quantocyùs Ioannem Camenecium Caſtellanum Leopoliẽſem, Rex cum quingentis equitibus miſit, ſed & incolas Podoliæ addidit. quibus ille auctus, dies noctéſq; non intermiſſo itinere Miedzybozium venit, & tribus ferè horis quiete, curſu cõtinuo feſſis, conceſſa, cœptum iter haud ſegniter perſequitur, & barbaros aſſequitur, impetuque in eos facto, pugnat fæliciter ad Voromanam, cædit, vincit, ſuperat, prædamque omnem & captiuos diripit. Tunc in acie occiſorum plus duo

millia numerata. Interea ingens rerum perturbatio in Lithuania exoritur, contentione magna, inter duos clarissimos eius gentis viros, Michaëlem Glinscium, cuius meminimus supra, & Ioannem Zabrzezinium Palatinum Trocēsem, inualescente. Ac Glinscius quidem genere opibusque illustrior, nam mediam ferè Lituaniam ipse occupabat, sed animi magnitudo & auctoritas in vtroq; propemodum par erat, vnde altiores cogitationes istę, subornatæ ad hæc, non solùm æmulationē inter illos accēderant, quod Glinscius ambitionis manifestus esset, sed etiam inimicitias perpetuas pepererant, adeò vt non veluti hostes, sed tanquam inimici inuicem odio arderent, animisque exasperatis, alter alteri semper aduersi infestiq; aliquid moliretur, accessit & agri diuisio in vicinia, quod vterque sibi vindicatum, manu magis quàm iure ibat. Itaque Sigismundus, litis dirimendæ causa diem vtrique dicit, sed crescentibus simultatibus dissimulat terminū, eosq; interim secum conuenire cupiens, inquirere inprimis studet, quæ de Glin-

de Glinſcio Proceres dixerāt, vel criminati ſunt, quaſi affectaret dominatum Lithuaniæ eiecto Rege. Quos ipſos rumuſculos etiam olim apud Alexandrum Regem extinxerat ille, non modò gratia ſua, ſed etiam virtute, rebus aliquot præclarè geſtis. Nam Tartaros & alios hoſtes regis ſæpe fælicisſimè fudit, & Lithuaniam tutatus eſt. Hanc igitur omni ſtudio affectans, cū mente agitaret de modo & ratione posſidendi, etſi ſedulò ſilebat, tamen vultu manifeſtus erat grande aliquid & ſuſpectum moliri, præſertim nobilibus & vicinis, qui eum ad Proceres, & hi ad Regem, in cuius feruenti gratia erat, deferebant. Verum quò magis ille omnem Sigiſmundi de ſe ſuſpicionem adimeret, Budam ad Vladiſlaum profectus, ſuo interuentu, reconciliari ſtuduit, & cum legatis reuerſus, literas Regi obtulit, quibus petitum, vt cauſa vtriuſque cognita, ſuſpiciones de illo ſi poſſet tolleret, nec tantum virum cauſa nondum cognita, opprimi pateretur. Sed cū Rex neſcio quâ occultâ causâ in Zabrzezinium pronior, poſtulata Michaelis

indies differret, indignatus ille, (quoniã quantùm fauente Rege autoritatis ad Zabrzezinium accesserat, tantûm suæ existimationi detractum putabat) meditari cæpit, quonam modo dignitatem suam tueri possit: ipse enim cunctis Ducatûs Regulis nõ anteire modò dignitate, verumetiam imperare quodam modo consueuerat; nec ferre æquo animo poterat quenquam sibi apud Regem auctoritate & gratia præferri. Quocirca multa in causa sua cum Sigismundo locutus, hactenus questus est, vt diceret: *Tentaturum se ea quorum olim me, teque ô Rex pænitebit.* tandem domum iram coquens ac vindictam meditans pergit, & porrò hominẽ certum cum literis, ad Basilium Moscouiæ Principẽ ablegat, itum tutum & reditũ sibi per ditiones suas postulãs, & arces quas in Lituania possidebat, partim hæreditarias, partim à Rege suę curæ demandatas, suæ tuitioni cũ seipso ac rebus omnibus tradens. Moscus talibus nuncijs lætus renunciari iubet, *periucunda sibi accidisse, quæ vltro obtulißet, et ob eam rem gratias agere,*

gere, sed multo placere vt quæ largiter promittit, ea, vel sola nominis existimatione adactus, præstare & cogitare seriò velit. Mouit enim eum tanti viri auctoritas, quem acceperat, præter egregias belli artes, complura etiam oppida & arces, in Lithuania tenere. Quare, pręstito vt postulauerat, corā Nuncio iuramento, literas clam ad eum remittit, & de rebus ad bellum pertinentibus cogitat, currus, machinas, milites & commeatus parat, vereq; ineunte fines Lithuaniæ ingressus, se hostē Sigismundi profitetur, & belli causam asserit; quod non eo quā par sit honore Helena soror, vxor autem fato absumpti Regis Alexandri, à Polonis prosequeretur, & Moscouiæ cōfinium, Regis inductu à Scythis vastaretur. Quod Simulac ad Sigismundū perlatum est, pace cum Pannonibus, Valachis, Pruthenis composita, habitoque raptim delectu, Vilnam haud vanè territus mouit: nam Michaël naturâ & ingenio vafer, solita ambitione & fastu, fastidientiū Roxolanorum animos Polonici & antiqui Imperij, in partes trahit, & turbidos no-



uaque cupientes, in possessionē Basilio Moscorum tradit. Rex autem, dum arma, iuuentutem, pecuniā, & machinas præparat, de ratione belli intentiùs cogitare cæpit, & mox Tartaros Perecopenses, quibus cum inducias sanciuerat, mercede accersere instituit, missis quindecim aureorū millibus. Quorum Dux, quàm primùm stipendium ad eū delatum, cum octuaginta suorū millibus, aduentū maturauit. Rex etiam approperauit, ex vrbe repentè cum suo robore egressus: tantumque Basilio terroris iniecit, vt audito Regis aduentu, nō priùs finem fugiendi fecerit, quā ad sua vnde discesserat, in Moscouiam vsq; perueniret. Quapropter Sigismūdus, neminem obuium habens, defatigatū cursu & æstu nimio exercitum, Vilnam tanquā victor reducit, Scythasq; dimittit. Et sic nihil memorabile ea expeditione gestū, nisi quod nobilitas Lithuana, deuastatis Moscouiæ finibus, arcē Czykouiensem quam magna vis armata, aut incondita tuebatur, receperat. Sigismundus verò in Poloniā regressus, Cracouiam hyematurus concessit; vbi

dum

dũ Comitias Regni generales celebrat, Michael cum ſeptingentis armatis Grodnã profectus, vt per exploratores Zabrzezinium inibi eſſe cognouit, quo illũ aduentus ſuus lateret, tenebris nocturnis vſus, properè cum ſuis aduolauit, inque ipſo curſu, pellicẽ illius obuiam cœpit, quę quicquid arcani magnique ſciuit, metu tormẽtorum enarrauit. Igitur edoctus oppidũ intrat, circumuentũ è lecto rapit, & protinus interfici iubet; cuius ille caput à Turca reciſum, multis probris affecit, & in haſta alta ſuſpenſum, mirabile & miſerabile omnibus ſpectaculum ſubiecit, circũlatumque ad terrorem, in lacũ quendam, quatuor miliaria ab oppido, inhumanus proiecit. Sicque æmulum ſuſtulit, & fælix hac fæda labe, ad alia ſcelera animũ adijcit; & conſectatus regem hoc facinus haud impunè ferre, vim vi repellere conatur, ſed primùm nobilitatem conciliare, quam promiſſis & pollicitationibus ſuam ferè fecerat, & plenis velis per plebeias illas vndas ferebatur: vt tamen magis obſtringeret, munera & honores ſingulis, aut dedit

dit aut promiſit. Ergo deſciſcunt, & adhærent paſſim, ſe & ſua, plerique arces & oppida etiam tradunt, illeq; ipſe aſſenſu eorum haud mediocriter confirmatus (nonnullos enim & regulos ad ſe inclinare acceperat) plura opportunè in conuenticulis diſſerens magnitudinem ſuam vel ambitionē, inter imperitos aut turbidos tuebatur & promouebat, ratus eam arripiēdam fortunam, quæ ſeſe vltro offerret. Et quò res ſuas magis firmaret, fratrem Baſiliū in partes vocat, à quo arces, & oppida regia ſimul recipit; inter quæ & Minſcū, præter ſpem oppidanis reſiſtentibus obſidione tenet, cuius oppugnatione aliquoties tētata, cum ferro expugnari nō poſſe videretur, irrito incæpto Kleckum copias reduxit. At Baſilius frater, Kiiouiam lectis cum peditibus diuertens, Zatomiram & Ouruciū oppida, quæ eius imperium pertinaciùs detrectabant, ſuccenſa expugnauit & diripuit, & nec ſacris parcens militi in prædā conceſſit, quo minus finitimi, iniecto metu reſiſterent. Nobilitati verò, vt fratri adherȩant & pareant vbique ſuaſit

ſit

ſit priuſquam vim ſuam experirentur: quòd ſi renuerent, vocem iecit, ſeſe vel inuitis illis imperaturũ, ſin verò rerum potitus foret, ſedem Imperij à Lithuanis in Ruſſiam, vt olim floruit, trãſlaturum, Monarchiãq́ue Kiiouienſem renouaturũ. Hæc dicta, & prompti facere erant: multisq́; promiſſis onerati, & dominatũ Polonorũ peroſi, in verba Michaëlis iurauêre, qui interim ipſe Anaſtaſiam Slucenſiũ Ducíſſam, tenet obſeſſam cum infante Georgio, ratus eam ſic poſſe vel in matrimoniũ (quod vnum petebatur) conſentire, vel ad deditionem pellicere, & ex eo ſibi multùm potentiæ accedere; ſed illud priùs vt ſecurius magis exoptare, ideoque munera, legatos, literas, miſſitare. Cæterùm abnegat illa precib9, minis, & terroribus immobilis. Spe itaque deceptus, excanduit iſte, circumſpectiſque Slucenſiũ munimẽtis, & quę eſſent expugnationi idonea prouiſis, arcẽ & proxima ædificia ſuccendere iuſſit: ſed hæc obſeſſi ſtrenuè tutati reſtrinxêre, & magnam inſuper ſtragem in oppugnantibus edidêre: pleroſq; enim gloria ducis

ſeu auaritia præde acrius nitentes, & ad propugnacula propius ſuccedentes ſagittis, ac minoribus tormẽtis ex occulto vulnerabãt. Tũc ſeriò iam in iram Michael datus, ſaluti ſuorũ parcendum ſtatuit, ſolutaque obſidione, globatim per oppida & ditiones illius milites vaſtatũ emittit, vicoſq́; excindere, vrere, trahere prædas, permittit, atq; imprimis Turoniam inopinato impetu expugnatam in prædam concedit, arcem vero valido præſidio firmat, incolis præſtantioribus qui pagatim viuunt in fidem receptis. Inde Moſirum mouet, & partim vi, partim proditorum cura capit, militeſque imponit, Pinſcum ipſe adpugnaturus. Et interea Oſtaphæus Daſzkouic, vir in armis late clarus, & olim Kozaccorum Zaporozenſium ductor, à Baſilio Moſcouitarum Principe, ad quẽ deſciuerat, miſſus ſubſidio Michaeli, venit, equitumq; millibus circiter viginti Ruſſiam ingreſſus, inter Smoleuice & Minſcum oppida, caſtra communita poſuit, miſſis ad Michaelem qui rogarent, cum copiis ad ſe venire ne cunctaretur, de tota belli ratione vna cõſultaturus

taturus. Sed quoniã Kozaccorum mentionẽ fecimus, res hortari videtur, qui ij ſint, & cui ſubſint, paucis exponere, tum propter ſingularẽ illorum in armis virtutẽ, tum propter nominis notitiam. Kozacci igitur ſeu Velones ſunt milites ſui iuris ſuęq; ſpontis, leui armatura vtẽtes, lancea, framea, arcu, & ſclopeto, non ſimul aut ſinguli omnibus, ſed pro copia & opportunitate; idque in nauiculis nando, inſidentes equo, aut pedes. Dicti, quaſi nihil de ornatu, honeſtate, & moribus curent, ſed victu ipſo contenti in armis excellere poſſint, ſeu inopiæ potius raptitia præda ſubuenire valeant: ab his quoq; dicũtur Kozacci & inter Polonos leuiter armati, ſed morem tantum pugnandi non vitę mutuantes. Illorum autem, quidam ſunt Zaporoſienſes, (& hi præcipui) vltra limina Boryſthenis in inſulis habitantes, qui magno cũ ſtrepitu ex montibus decurrens, mirabili opere naturæ limina (vulgo porohi) ſaxoſa, & nauibus inuia efficit, velutiq; per menſæ planũ tranſiẽs, quoquo longius, eò inferius decidit, quæ illi cum ſuis naui-

culis, quas Czaiki dicunt, per funes ascendētes & descendentes penetrant. Quidam autē Nissouienses ad fluuium Nissam habitantes, seu in parte Russiæ inferiori, quorsum flumina è longinquo decurentia concurrūt. Et hi vtrique ditionis Regiæ. Vltimi sunt Odonēses, super Tanaim seu Don fluuium habitantes, qui subsunt Mosco. Horū omnium primordia satis quidem exigua fuêre, sed licentia crescente, creuêre & habitatores, idq; eô magis, quòd insulæ illę quas incolunt, seu quò confugiūt, tum terrestribus tū naualibus ab incursionibus, licet nulla sint manu structa propugnacula & ædificia, maximè tutæ habeantur. Igitur multitudine freti, peritiaq; nauigandi, cum eorum nomen abundè potens pollensq́; esset, Scythis & Turcis sæpiùs prę-lio superatis, pluribus elati victorijs, cępêre finitimas barbarorum nationes incursare, & multis eorum mercatoribus direptis, non paucis etiam funditus excisis oppidis, eò cū præda, tanquam in arcem validissimā, confugiunt, cōmeatu antè comparato: deficiente autem, piscibus

æſtu ſiccatis ſeſe ſuſtentãt hyeme etiam; qua inſtante, nauiculas & tormẽta bellica in tuto ponũt, præſidio lectiſſimo relicto, ipſi vero Kiiouiam, Krzyczouuum, Cyrkaſſos, cæteraq; regia oppida, vicina petunt. Atque his artibus eò potentiæ peruenêre, vti res eorũ finitimis, Turcisque ipſis pariter formidoloſæ eſſent, eſſentque multomagis, ſi ebrietas apud illos exularet, & iuuẽtus ſanctioribus inſtitutis diſciplinæ, ac continẽtiæ formetur, eſſetque breui futurum, vt nõ ſolum vicinos hoſtes facilè ſubmouerent, ſed etiã laudem & palmam potentiſſimi imperij penes Polonos relinquerent. Sed & modò bellatores præſtantiſſimi, ipſique Poloniæ Reges, eorũ inſigni opera vtuntur. At Michael Moſcorũ copijs auctus, deq; ſumma belli cum Daſzkouicio colloquutus, cõfeſtim Orſam cum exercitu mouit & poſitis in loco munito caſtris arcẽ aggreſſus, incolas qui in eam ſe receperant, adeò conterruit, vt deditione facta, vix primã oppugnationẽ tulerint. Idem & Krzyczouiẽſis, Homiana, alięq; plurimæ, præſidio admiſſo continuò fecêre, &

 nobiliũ

nobilium bona pars populariumque, imo & reguli nonnulli, cum Drucēsi & Mscislauiensi arcibus adhesêre vltrò. Ergo hac potentia fretus Sluckum iterum vano nisu obsidere parat, Anastasiā suæ fortunæ fauore ductam, in matrimonium consensurā ratus. Verum hæc toties tentata aut iam molestata, recusauit, & eundē animum, vitæ potius quam puditiciæ perdendę sibi esse testata est. Quocirca Michaël, vt rem frustra à se tentari vidit, ad Nouogrodkum castra metatus, cohortes palatū dimittit, & excursiones cædibus atque incendiis perpopulatus Vilnā vsque protendit. Cæterum postquam animaduertit se non eas vires, quibus Regi resistere possit habere, arcibus quas ceperat valido præsidio firmatis, in Moscouiam cum Daszkouicio remeauit, sed fratre Basilio cum thesauris & suppelectili præciosa præmisso: vbi amplissimis honoribus affectus, de expugnando Smolensco cum Principe Moscouitarū Basilio seriò agitabat, & putabat, illo obtento, reliquum belli facile futurum, eo quod multos Lithuaniæ regulos in partes

traxisset

traxiſſet, & nobiliũ plurimi inclinatis animis, clã ſibi fauiſſent: tũ & ager Seueriẽſis ducatus, frumenti, pabuli, atq; omnis generis frugũ, ad alẽdos exercitus maxime ferax eſſet. Sed audito Sigiſmundus; nõ paſſus eius furorem ſeu potius ambitionẽ latiùs euagari, Nicolaum Firleium Poloniæ Polemarchum, cĩtis cũ militibus, tanquam opprimẽdo bello præmiſit, & ipſe vt primum potuit coactis copijs, ſeſe ſuppetiaturum itineri cõmiſit, profectusq; Breſte, que ad bellũ gerendum pertinere videbantur, ſumma cura parare cæpit, quo tẽpore Michael: accepto grandi & recenti à Moſco exercitu, tertio Minſcum tormẽtis indeſinenter quatiebat, caſtellanis ob naturalẽ ſitũ & validos aggeres, audacius repugnantibus, abnuẽtibusq; dominationẽ illius. qui cũ oppugnationẽ atq; arma illius, aliquot dieb9 excipiunt, per exploratores accipiunt Regẽ cum exercitu ſubſidio aduentare; gauiſi ergo & cõfiſi fortius repugnant, eruptiones faciunt, & quos aduerſę factionis homines, res nouas moliri poſſe ſuſpicabantur, ad quindecim cõpręhenſos, in
custo-

custodiam tradūt; Quo cognito Michaël, conterritus ad Moscum maiora auxilia postulās ablegat, his autem copijs vincere haud ōnino sperans, quia falsò in castra allatū erat, Sigismundū magno cum equitatu, obsessis subsidio aduolare, atq́ue haud procul inde abesse; qui modo quinque nobiliū millia, cum stipendiarijs è Polonia eductis, Breste conscripserat. At Moscus literis Michaelis acceptis & lectis, nō defuturū se in rebus tam necessarijs amico optimè merito, & pro se hæc agenti, respōdit, sed illico sexaginta equitum millia, ducibus Iacobo Zacharino & Daniele Sczenie submisit, qui coniunctis cum eo castris, & Smolensciano agro subacto, si possent, vniuersi certaminis fortunā, cum Sigismundo tētarēt, qui iterū ad Nouogrodkum, vbi nobilitas Lithuanię conuenerat progressus, copias lustrabat, in hostem profecturus ipse: totamq́ue regionē illā, aduentus sui fama tumultuantem, sola præsentia sedauit, & imperauit finitimis cōmeatus; à quibus omnia impigrè & obedienter pręstita. Motisq́ue inde castris, Minscum

ſcum recta profectus, Michelē à tergo inuadere parabat, arcis oppugnatione implicitū, vel etiā intercludere cōmeatu in caſtris circumſeſſum, priusquàm eę copiæ illi coniungerentur. Cæterū non expectato ille Regis aduētu, mox ab obſidione diſceſſit, & Boriſſouiam trepidâ fugâ receſſit, atque inde Boryſthenē verſus: quo tranſmiſſo, & præſidio ad ripam valido collocato, caſtra Zacharino & Sczenie coniunxit, ſpacio miliaris vnius à fluuio, cū ingenti pugnæ ardore Sigiſmundum præſtolaturus. Qui fuga ipſius & conſternatione cognita, protinus in aduerſo littore, manū conſerturus apparuit, ſed præter opinionem, littus è regione inſeſſum repperit, tamen, eductis in ordinem copijs tranſgredi contendit. Quo viſo Glinſcius, producto & ipſe in aciem exercitu, ad reſiſtendū ſe illico parat, ac primùm littus viris, tormentis, miſſilibus complet. Signo igitur dato, regii magno impetu in flumen ruêre, & ad ripam contendere omnes, ſed repreſſi, tranſitu prohibentur: pugnatūque aliquantò diutius, atque acriùs: his locum tue-

ri, illis transire omni nixu contendentibus. Igitur Sigismundus aliquot turmis, alio in loco citra flumen missis, vadoque transmissis; hostium latera inuadere iubet: qui celeriter & feliciter transgressi, magno impetu in hostes inuecti, insignem pugnam ediderunt, clamorque decertantium, pudore simul & gloria, vtrinque animos acuente, ad cœlum ferebatur, exhortatione, lætitia, ac vario affectu permixtus. Sed cum plures hostium acies, his sese circumfudissent, nec viderentur diutius eorũ vim sustinere posse, Sigismundus qui formam pugnæ contẽplatus, in collę ripæ aduersæ stabat, conuersus ad circumstantes *Milites* inquit, *macti virtute estote, & quà me vadentem videritis sequimini ducem*, moxque subditis equo calcaribus, flumen ingreditur, & ingenti impetu in hostes fertur, quem omnes sublato clamore (pabulatores etiam) sequuntur, & eorum qui iam cessuri videbantur, confirmatis animis, prælium redintegrant, & congrediuntur, quos Rex ipse obequitans, tum hortando, tum castigando, in pugnam

gnam adeò accendit, vt hostes impetum eorũ non sustinentes, protinus loco cesserint, & salutem turpi fuga quæsierint. Hi verò eò magis cõtendebant, quòd in conspectu Regis dimicabatur, qui continuè pugnantes, nunc hos nunc illos, in prælium acuebat; sed vt primùm vidit longè hostes cedere, insidias veritus, ab ijs persequendis, & sole iam ad occasum inclinante, suos continuit. Aciebus autem ad pugnam insequentis diei, cum exercitu Zacharini & Sczenie dispositis, qui suos instructos, in castris continebant, ipse pransurus hora noctis iã ferè tertia in castra sua redijt. At Glinscius iterum prælij iusti euentum experiri volens, Ducibus illis Moscouitarum, certã victoriã & felicem euentum pollicebatur, cohortabaturquè vti summo mane collatis signis, cum Rege dimicarent, gloriæque pariter & prædæ consulerent. Cæterũ illi, siue hesterni prælij exitu exterriti, siue res Domini in vltimũ discrimen adducere veriti, alta nocte trepidã arripiunt fugã, equis qui de vulnere invtiles erant, quique animum iam agebãt
 militibus

militibus, in campo relictis, consternati syluas, locauè paludosa petunt. Quos Sigismundus cęlo albescente, magno animo insequitur & assequitur, cęditquè, capit, ac vincit, Glinscius tamen, in eo tumultu paludū beneficio, atque interuentu noctis, manus hostium effugit, & coactis dissipati exercitus reliquijs; multis populationibus & incendijs, agros Seueriēsis Ducatûs euastauit. Imminentibus autē regijs, Starodubū concessit, quem nisi anfractus & inscitia viarum recepissent, regij ōnino cepissent. Fugatis igitur & superatis aduersariorū copijs, cum Sigismundus Optimatum suasu, Smolenscum cum exercitu concessisset, & in suburbio castrametaretur; accidit, quòd eques quidā (Ioannem Pierzchlinium dicunt) equi proteruia in mediū Borysthenē illatus, & vorticibus siue voragine haustus, post vnicam fermè horam, Rege, totoquè exercitu spectante, qui indignam hominis mortem dolebant, ex aquis incolumis prodijt, & bis modò aquam inbibisse asseruit; nā grauitate armorum conseruatus, quibus vsque ad talos loricatus

ricatus erat, pedes per imum iuit, & exiuit, qua de re ipſe poſtea perliberaliter eſt à Rege habitus; Qui inibi regni negocijs occupatus manẽs, Nicolaum Firleium & Conſtantinũ de Oſtrog, duces copiarum, cum parte equitatûs Moſcos vaſtatum miſit, qui & in Glinſcium populãtem, auertendo animaduerterent. Odio nanque is& immanitate pręceps, quò magis magisquè à Sigiſmundo & Polonis animos popularium alienet, atquè atrociùs terreat, non ſolùm agros vaſtat, inceditque prædiola agreſtium, ſed pagos atque frequentia oppidorum loca, æneis tormentis vbique & vndique quaſſat, nõ ſacris, nõ profanis abſtinens. At illi hoſtium loco, vix ipſi inter ſe ad manus non veniunt, & non conſilijs modò; ſed animis etiam diſſentiunt. Cumque altercando plurimũ extraxiſſent temporis, cum re infecta & abſque inſigni facinore ad Sigiſmũdum redeunt: orta enim inter eos non æmulatio modò ob rei militaris gloriã (hæc enim neminẽ ſine concertatore ſinit) cuius partes primas ſibi, vterque arrogabat, verum & ſimultas

ingens, ob veteres olim inimicitias & mores inter Polonos ac genus Litauum: quorum Polemarchus Costantinus, rerum gestarum magnitudine, omnes copiarum duces, sua tempestate superabat. Nec fuit certè aut erit, qui militari astu, aut peritia ex Roxolanis, virum æquabit, nō dicam superabit. ¶ Is dum Ioanne Alberto regnante, traijceret è Smolensco exercitum in Moscouiam & funestos illos Wiedrussios, vbi mox certatum, grādi prælio victus vinctusque, post triumphalem illusionē tetro carceri intrusus, manus post terga plūbo obuolutas habuit, pedesq́; cathenis arctè strictas; sed fortuna currum à carceribus ad metum, sine offensâ aut euersione perducente, liberatur, & fulcrum rebus Moscorum labentibus adsumitur, nam Basilius, (Tartaris ferro & flammis cuncta excidētibus) tantę moli hostium impar, & consilij inops, ad modestiam flectitur & liberari carcere Constātinum iubet, quem liberali largitione illiberalis affectum, iureq; iurando obstrictum, in amicos transcripsit, & exercitui pręscripsit aut

pręfecit

præfecit : quo ſuccinctus ille cōtra Tartaros ſę-
pius proſperè pugnauit, & victrices in Moſcouiā
copiias Baſilio reduxit; tandem certis conditio-
nibus cum eo depactus, iam Sigiſmundi tēpo-
ribus, ad ſuos redijt. In illis ipſis vero cāpis, tria
veteranorum millia amiſerat, quingenti autem
dilapſi, cum Staniſlao Kiſzka, Smolenſci Palati-
no, & exercituum in Lithuania, campeſtri præ-
fecto, manus tergo inſtantiū euaſerunt. Cum
hac enim exigua manu, falſis inducijs laceſſitus
Conſtātinus, prędatum in agrum Wiedruſſoui-
enſem iuerat, cui inopināti, quadraginta Mo-
ſcouitarum millia ſuperuenerāt; quū apud eos
Regni iuuētus omnis, edicto arma capere, abs-
que mora & ſtipendio cogatur. Et nox tunc al-
ta erat, ac Luna lucens, cum ille ſerium aliquid
animo voluens; ex obſeruatoribus & ſubſeſſo-
ribus viarum, hoſtem ſubito adeſſe cognouit.
Itaque quales aut quantę illius vires incertus,
Nicolaum Hlebouicium: ex fidis amicis explo-
ratum miſit, qui, ilico rediens, grādem multi-
tudinem, & egregiè inſtructam, prope adeſſe
nunciat.

nunciat. Tum audito percul∫us ille, & quaſi Genio inſpirante aut perturbante deſperatus, vocem è pectore emiſit. *Jam iam video commilitones mei, quo nos fata & ordo rerum miſerunt. Tamen auertant ſuperi à genere noſtro tale dedecus, vt in hoſtes vltro profecti ipſi pugnam detractaſſe videamur, ſed protinus morituri, aut etiã morituris obuiam procedamus. Sique in fatis non erit nos vincere, at ſaltem, ne inultis, ſed facinore aliquo memorabili edito, occumbere ſuperi concedent.* Moxque copijs omnibus in aciem eductis, ad duo miliaria per ſyluas, & merſa humo loca progreſſus, in planum & conſpectum hoſtium deuenit, quos itidem inſtructos & ordinatos inuenit; adquè confirmandos ſuorum animos, hac breui vſus eſt exhortatione, *Si eandem operam ac animi magnitudinẽ, quam ſuperioribus bellis mihi ſtrenuè declaraſtis, nunc repræſentare velitis, Milites ſtrenuiſſimi, nihil certè reſtaret aut obſtaret nobis, ad conſequendam hodie Deo benè viuente victoriam, quam toties Numini huic nixi & confiſi, ex inſidioſo & in fideli hoſte retuliſtis, moioresque noſtri ſemper retule-*

retulerunt, & tot sæculis inclaruerunt, vt rerum monumenta, seriaq; scriptorum testimonia nunc etiam videre liceat, ac olim multò magis licebit. Nam sicut sol in aurora tenuior assurgit, & magis magisq; eleuatus inclarescit; ita ex virtute & meritis, fama cum æuo ipso augetur & crescit; quam vos amare & cogitare velim fortissimi viri, partamque toties armis gloriam semper tueri. Sed præcipuè die hodierno, quo de salute, gloria, ac præstantia rei militaris nobis est agendũ, testandumq;, vtri nostrorum meliores aut maiores fama milites essent. Iam verò famæ iacturam generosis animis omni incommodo & calamitate grauior esse debet, maximè quibus proprium & genuinum est alta ac honesta proponere, res serias constanter agere, & gloriæ cupidinem vsq; cum concertatione profiteri. Quod nobis hodie vel nolentibus etiam, exoptandum restat; nam vt videtis res nostra, eo loco sita est, vt vel viriliter pugnandum, vel turpiter sit nobis cedendũ: sed profectò, posterius istud, in Martiali populo nostro, laudisq; cupida gente Polona, est semper vitatum, & vitandum; honestius reputans, pro Patria in acie mori, & nunc ac magis olim, in

fama bona & gloria esse. Eò vos intrepidos vel natura à tali gente, vel cõsuetudo à Ducibus ducant, & fortes constantesq; reddant, etiam aduersus extremos metus; quos tamen non in periculum mitto, sed ad gloriam futuram præparo, & ipse adsum, comes eo, omnis euentus & fortunæ particeps futurus, quæ vt ignauos reijcere solet, ita fortes & audentes iuuare cõsueuit. Quare per gloriã gentis, per virtutis pristinæ decus, per salutem denique vestram quæ simul cum victoria, in Dei manu posita est, vos rogo & obsecro. Insilite fortes, & audaci animo, quos indepti estis, aggredimini hostes. Fecitque ipse & alij impetum, quem ingentibus animis, sustinebant Moschi, stetitque vtrinq; immota acies diutius. Marsque ipse dubius & anceps erat, cum repentè vnus è ductoribus Moscouitarũ, hasta transfixus, equo moribundus corruit, per multique fortiores cum eo, Constantino ante suorum oculos, pugnam acriter edente: casu quorũ hostes consternati, & virtute regiorum, quã paucitas ipsa excitabat, perfracti, primum loco cessêre, mox terga simul cuncti vertêre, trepida fu-

ga dilapſi, & Conſtantinus diſſipatos iam victor inſequebatur; donec in tranſitu fluminis Wiedruſſij, conſpecta illi inſequentium paucitate, vt nulla recentia ſubſequi præſidia viderunt, quę in proximis occultata ſyluis rebantur, extemplò arma in noſtros, pudore ipſo excitati verterunt, & offirmatis animis, ad ſingulas cohortationes ductorum, pugnam fugientes inſtaurabant. Sed quia defatigatis nullũ reſpirandi tempus datum, puncto temporis diſſipati, ceciderunt aut fugerunt omnes. Et Conſtantinus illorum fuga circumdatus & viribus auxilioq́ue deſtitutus, à Baſilij milite capitur ipſe, & reliqui cũ eo à multitudine intercepti. Kiſzka autem cum aliquot veteranis, ſyluas petens propinquas, hoſtium manus euaſit: & poſtea Conſtantino ad penates reuerſo, vterque ſub Sigiſmundo Rege militarũt. ¶ Nicolaus vero èo maiores concipiebat ſpiritus, quod fortes atque aſperos Polonorum duceret milites, qui partum multis bellis decus, ereptum iri ſibi indignabantur. Itaq; Sigiſmundus. Staniſlaũ Kiſzkam, (de quo men-

tionem fecimus) virum fortem atque impigrũ, cum aliquot equitum turmis ad Vesmam arcem, quo sese hostes receperant, misit. Qui oppugnatione illius, (nam alluente Borysthene difficilis erat) absque peditatu omissa, circumiectos tractus illius campos, longè lateq; populatus, postquã per exploratores cognouit, magnam sibi hostium manum propè imminere, qui denuò coadunati clades suas expiare aut compensare adnitebantur. omnibus pro tempore prouisis, confestim ad Regem, qui id nunciarent ablegauit, & rogauit sibi maiora auxilia submitti. Ipse autem assiduo prælio lacessebat hostem, eo consilio, vt donec sibi à Rege subueniretur vel tergo circummissos, transitu Borysthenis, iniecto metu prohiberet; vel etiam eos qui aduersi erãt procursantes eminus repelleret, & assiduis in arce vigilijs affligeret. Hæc cum Sigismundo significarentur, Firleium cum parte equitatûs, celeriter emisit, & effecit, vt hostes aduentu illius non expectato, magis de fuga quam de pugna cogitarent, & salutem pudori

dori

dori anteponerent. Kiſzka verò, conſternationis cauſam ignorans, & ſubſidij aduenientis inſcius, cum illa ſuorum manu, terga dantes conſectari cœpit, & nouiſſimos ad Drohobuſum aſſecutus, neceſſitatem attulit, captis cæſiſuè, qui peruicaciùs reſtiterant: ob propinqua tamen ſuffugia, inſidias veritus, vltra perſequi noluit, compoſitoq́ue agmine copias in caſtra, & ad Regem reduxit. Idem & Nicolaus Firlei, cum ſuis fecit, quibus iuſſerat, vt inſtantibus tergo reſiſterent, refugos non ſequerētur; nam accepit grandem Moſcouitarum exercitum (ad centum millia dicebantur) propè imminere, & iā iamq́; adeſſe, ſed qui tamen pugnam, cum Rege in aperto, haud comittere audebant, modò per anguſtias ſaltuum compoſiti, audentiùs quidā in collibus viſebātur. At Baſilius fortunæ euentum expertus, ſed & cladibus conterritus, de inducijs cum Rege, quo ſpes ſuas proſtratas erigeret, agitare inſtituit, adfirmans operam interea ſe daturum, vt cum legatis magnis, quos miſſurus erat, certis conditionibus, fædus per-

 petuum

petuum componeret. Quò Sigiſmundus audito, conuentum Principum virorum habet, & quid agēdum aut faciendum ſit, deliberat: vtq; vidit maiori ſumptu quam vtilitate, per ſyluas & paludes copias ductari, & hoſtem iuſtum prælium detrectare, libens lubenſque inducias dedit, & eò maximè quod regni negotia ſui præſentia indigerent. Itaq; inducias dat Baſilio, per Ioannem Sapieham Lithuaniæ Cancellarium, cum lege hac, vt Glinſcius perpetuò in Moſcouia exularet, & arces quas tum iure hæreditario tum bello occupatas in Lithuania habuit, exhinc iam Regiæ eſſent, captiui verò omnes ſine precio, inuicem dimitterentur. Baſilius induciis acceptis & iuramento ſuper Euangeliorum libros de more antiquo cōprobatis, omnes cum Conſtantino ad Wiedroſſam captos, liberè dimiſit, cum quibus ſimul & legatos ad Sigiſmūdum miſit, vt pacis fœderibus obſignatis arces Glinſcianas Sigiſmundo dominandas dedant, conſanguineos verò illius & affines, in Moſcouiam accipiāt. Sed horum plurimi, dulcore patrij ſoli

trij ſoli capti, in Lituaniam rediêre, & vna ducenti ad Druckum arcem Cõſtantini venêre anteacta deprecãtes, cum Oſtaphæo Daſcouicio, bellicoſo Kozacco illo, de quo ſuprà. His omnibus Sigiſmundus veniam, rogatu Conſtantini & præmia, honores etiam tribuit, & immunes patrijſque legibus viuere iuſſit, & quoſdam in militiam cum illo ipſo Daſcouicio allegit. Denique vno edicto, etiam quibus nondum ignouerat redire in Lihtuaniam, ad opes, honores, imperia, permiſit; nam hoc in ſummis ſuis laudibus ponebat, quod comis in omnes & humanus, nunquam acerbitatem aut vindictam exercuiſſet: atque ecce ſpecimen, breue ſed penſitandum. Manus ad menſam aquis abluturus, anulos pro more cuicunque tenẽdos dabat, & euenit, vt dum pranſurus, ex famulis cuidam porrexiſſet, interq; conuiuandum oblitus non recepiſſet, aulicus ille, per ſummum ſcelus aut auaritiam, haud amplius reſtituit: & poſt annũ elapſum vel amplius paulò, ille idem Rege inter abluendum, anulos porigente, manum acceturus

pturus extendit, Cui ille subtractis: *Reddite*, inquit, *primò Nobis, quos anno superiori tenē-dos dederamus*. Hem, factum fœdum & impor-tunum, & vt rem dicam conuicio aut flagro di-gnum. At ille tamen, adeò nec in iram, nec in vindictam exarserat, vt non nisi ioco aspersum aulicum illum, nulla vel re, vel voce acerbiore læsum dimisit: Sed vnde digressi. Pace Sigismū-dus cum Mosco, ex mente composita, vt vete-ranos in agris bruma appetente disponeret, Vil-nam regressus, miro ciuium desiderio est exce-ptus; nulla re omissa, quæ ad cōcelebrandum eius reditum excogitare posset. Vbi ipse pro fe-lici rerum successu laudibus & hymnis publicè persolutis, quorum insigni opera vsus, militibus præmia distribuit, & honores; quorum verò proditione in patria tumultuatum, mulctare & punire instituit. Interque primas ferè publicas actiones habuit, eos qui Glinscij partium erant euertere; Fecit autē initium à Gastoldo Litua-niæ Thesaurario, in arcem Trocēsem eo misso. Additus Michaël frater, equorū Regiorum præ-

fectus

fectus, Glinſcij gener, & tres alij ex Aula ſua, tum propinqui eorum aut cliētes. Et quia Tartari, Tauricani Podoliæ Lituaniæq́; tractum excurſionibus interim plurimis vexarunt, ferro & flammis cuncta excindentes, cum parte copiarum Conſtantinum ad reprimendum & cohibendum impetum eorum in Volhyniam miſit; qui magna celeritate vſus, tardiùs barbaris prædam grandem trahentibus, inopinatò cum ſuis ſuperuenit, & quotquot inuenit ad vnum cecîdit, vt ne cladis eorum nūcius in Tauricam rediret; ſed iam à Polo Kozacco, viro in armis plurimùm excellenti, comminutos, qui inſidias eorum ingenio & ſagacitate, vim virtute reprimebat, & multas de illorum palantibus turmis victorias cōſequebatur. Quorum etiam diſcurrentium, phalāgem magnam, Lucas Morauiec, cum ducentis peditibus obuiam habens, & locum quò cederet nō habens, ob circumiectos ſaltus & paludes ſtrenuè in fugam conuertit, magno & Polono animo reputans, honeſtiùs eſſe pugnando pro Patria mori, quàm turpiter

ſugiendo viuere. Itaque aſtu pulcherrimo, curſus ad fluuium Sluccam diſponẽs, barbaros aggreſſus fortiter perfregit, & arte quam viribus magis ſuperauit; quos iam abeuntes, equites Anaſtaſiæ, ex arce Slucenſi conſectati, in loca paluſtria & lutulenta pepulêre, & pleriſq; occiſis cõplures cepêre. Sub initium anni inſequentis, legati Moſcouitarum magno comitatu, Vilnam ad Sigiſmundum venerant, iuramentum fœderis perpetui conſignare, & curare, vt propria ipſius manu communitum, publico teſtimonio ad memoriam ſempiternam confirmaretur, cui ipſi ſeſe ſanctiſſimo iureiurando, inuicem & pro Baſilio conſtrinxerunt, quem idem ipſum ſuo tempore atque loco, in coram regijs præſtiturum adfirmabant. Fecit Sigiſmundus, qui nullo modo, regni vigilanter & pacifice adminiſtrandi, ſtudium intermittebat, vocatoſq; in ædes vbi paratum & inſtructum erat conuiuium captiuis (octuaginta præſtantiores fuêre) donauit, & muneribus affecit. Iam ergo pace pactis firma, & ſic durante, cum nonnulli è regno

gno mercium cauſa, in Moſcouiam proficiſcerentur, & in vrbe ipſa Moſcouia, quæ à prælerlabente Moſco amne nomen accipit, agerent: fortuitus ignis, quem in diuerſorio Vilnenſium exortum conſtabat, vrbem comprehendit, & vento adiutus, mediam penè abſumpſit. Idcirco permotus Baſilius, conſultò iniectum exiſtimauit, & complures mercatorum pœnis affice re, capiteq́; truncari iuſſit. reliquis ſatis ſupplicij cenſuit, carcerem ſubiſſe, & pecunias effudiſſe, cuius ſumma quadraginta florenorum millium æſtimabatur. Sigiſmundus verò, conuentu ordinum Petricouiæ dimiſſo, legatiſque ad Pontificem, Moſcum, & Principes Germaniæ (inter quos & Petrus Tomicius erat, Regni Secretarius & Canonicus Cracouieñ. fide, pietate, probitate, atque innocentia ſingulari, tum doctrina & iuris Pontificij ſcientia inprimis excellens) qui res communes agerent, dimiſſis, ipſe Cracouiam profectus, Principis Mekielburgenſis filiam in matrimonium aſſumere, ſuaſu optimatium inſtituit, qui

maritandum laudabilius putabant, vt domestica cura vacuus, publica liberiùs consulat. Missique iam erant, viri animi & consilij magni, Ioannes Lascius, & Christophorus Szydlouecius, ille Cancellarius, iste Camerarius Regni; quibus & Antistes Posnaniensium additus erat. Sed Posnaniæ reuocati, bello Valachico interim orto, quorum Palatinus Bogdanus, numeroso exercitu collecto, Podoliam atque Russiam ingressus, multos vicos exussit, multos homines occidit, & incredibili celeritate, multis in locis incautos oppressit, causas belli asserens; primò, quod Pokuciæ tractus, Valachis iure antiquo debitus, à Polonis iniquè possideretur: secundò, quod Elizabeth soror Sigismundi, ab Alexandro Rege nuptui sibi promissa, non esset elocata. Demùm, quòd subditis suis multa fuerint detrimenta à conterminis illata, iustitia autem nunquam exercita, sed assiduæ inde inter populares simultates, inimicitiæ, iniuriæ, & hæc denique arma. Quæ tamen priusquàm Sigismundus inferret, aut prouocatus referret, pro suo ingenio

nio leniter ac tardè omnia agere, legationibus quàm legionibus velle rem conficere, quod licet in Schiſmate, Chriſtiani tamen eſſent, & murus ſeu paries aduerſus Turcam. Sed poſtquàm aduertit, id malum indies ſerpere, & impunitum Bogdanũ maiora damna inferre, iamq́ue Cameneciam atq́; Haliciam obſideri, concitus ex templò obuiam pergit, & domi rebus conſtitutis, ſumptaq́; ſuorum manu, Leopolim proficiſcitur, ducibus copiarũ eòdem conueniré iuſſis. At Valachus audito aduentare, haud cunctanter aggreditur Leopolim, ratus eam re inopinâ turbatam, facilè ante Regis aduentum expugnare poſſe: Sed Machinis æneis ad Haliciam amiſſis, irrito incæpto, poſt triduam oppugnationem, abſcedere coactus Rege cum copiis imminente, modo leuioribus aliquot prælijs habitis, proxima vrbis illius ædificia aut prædia, ſuccenſa euaſtauit, & compoſito agmine copias in Valachiam reduxit. Inque ipſo reditu, Rohatinum oppidũ, proditione captum, multo incendio inſtammauit, & ne ſacris quidem

parcens fæde diripuit. Sigiſmundus autem febri correptus, quia ipſe conſectari hostē haud poterat, numinibus aduerſis Leopoli ſubſtitit, Nicolaum verò Camenecium Palatinum Cracouienſem, multâ militari famâ virum, ne hoſtis pro arbitrio regni ſui fines penetret, cũ copijs dimiſit, ex voto ſiſtendi altare argenteum, ad D. Staniſlai monumentum Cracouię. Transmiſſo itaque ille Neſtro, longè latèq; terrorem incuſſit, per ſoli hoſtilis interiora vagatus, & Carnouce, Dorohimum, Botuſany, Stepanouce, Chocimiā, munitioraque alia Pocucię propugnacula, & finitima Valachiæ, intra paucos dies debellauit. Quorum terrore alia, & alia ſponte incolarum in deditionem veniebant, humanitatis enim lumē in perditis rebus experire maluerant, poſtquam virtutis documenta ſatis perſpexerant; Camenecius etiam præcepit ſuis, vt à maleficio abſtinerent, & vniuerſæ multitudini parceretur. Cumq; iam Soſauiam caput regionis expugnaturus obſideret, Valachus quidam nomine Baſilius, liberè ſe illi vltroque

adiuxit,

adiũxit, & magnum nomen & si exiguas vires attulit, peritia tamen militiæ & locorũ, aliquod ad victoriam monumentũ, qui alium è nobilioribus familijs Basilium, quod sibi rapuisset vxorem, adduxit, & palo infixit; ipse autem postea satis liberali latifundio & stipendio à Sigismundo affectus, in Polonia vixit. Camenecius autem neminẽ ex aduersarijs, obuium habens (nam Bogdanus ipse in syluis latitabat) instituit copias in hyberna deducere, oppidis valido pręsidio firmatis. Et cum iam Nestrum transmissurus in scaphas conscendisset, subitò exercitus Bogdani, in quo & Turcarum duo millia erant, é syluis emergens in acie apparuit: quos regij, qui cis flumen erant conspicati, mox prælio instruuntur, & ad dimicandum ingenti ardore & velitatione prouocant. Verum illi de industria retrocedere, & fugam simulare instructi, vt eo facilius insectantes circũuenire insidijs possint, quas per saltus gnaros occultauerant nescijs. Sed in laqueum quem regiis nefarium parabant, ipsi supra vota inopinatò inciderunt: nam

Came-

Camenecius, militari aſtu & peritia optimè instructus, viſo hoſtes temere cedere, inſidias agnouit, ab ijſq; perſequendis ſuos continuit, ſed fortiſſimo quoquo in primo & poſtremo agmine collocato, turmas aliquot circa montes, leuiores, tranſmiſit, hoſteſq;, clangore tubarum exterritos, à latere inuadere iuſſit. Factum & alacriter & feliciter, cum Valachi ipſis inſignibus violati fœderis conſpectis, feriò in fugam conſternantur, & armis abiectis abeunt, temeratæque pacis pænas, multo ſanguine ſuo pendunt. Captiuorum illuſtriores, triginta Leopolim ad Sigiſmundum miſſi, quinquaginta verò in acie, hoſtiarum more mactati, eò, quod Bogdanus etiam, tot Polonorum nobiles ad Tręboulam, captos Podhaicys, interfeciſſet. Quorũ tumulum Camenecius, antequam in Valachiam mouiſſet, gratiſſimo munere in defunctos, cum ſuſpirijs & lacrymis exoſculatus. *Fratres*, inquit, *laborum & gloriæ noſtræ participes æternum valete, & me ſanguinis veſtri vindicem, cum Deo benè iuuante paratum ſcitote, qui quamdiu*

in vita

in vita mea fuero, omni nixu conabor & curabo, vt tot quoque ſanguinis Valachici viros, vnà interficere, & velut immolare ſuper vnum locũ poßim, priuſquàm in regnum & ad Regem meũ reuertar; ſed vobis Deus meliora, in alio & meliori quoque regno. Simul his dictis, atque ijs ampliſſimis verbis collaudatis, nobiles qui ſecũ militauerunt, pluribus verbis exhortatus, ad ſtrenuè fortiterq́; pugnandum & vlciſcendum, indignam commilitonũ mortem. Fractus itaq́ue animo & viribus Bogdanus, agnouit non multitudinis inconditæ temeritate, ſed paucorum vigilantia & conſilio victoriam contineri, eamq́ue ipſam iuſtis factis & fide augeri, quę & milites fidentiores reddit, & homines, ſubditoſq́; ipſos amiciores facit. De pace igitur apud Regẽ, per Vladiſlaũ Vngarię egit, affirmans fidẽ ſe paratum dare, quam vellet, & vbi ipſe vellet, apud ſanctiſſimas etiam aras & templa. Quare, miſſi in id à Vladiſlao, Oſualdus Karlacius, & Ioannes Bornomiſſa; à Sigiſmundo Ioannes Laſcius Cancellarius, Andreas Koſcielecius, Georgius

gius Crupſcius Caſtellanus Belzenſis, & Petrus Tomicius Archidiaconus Cracouienſis; à Bogdano, Theodorus Iſaacius, Capitaneus Nouagrodenſis, Ioannes Petrica, & Logoffettus è captiuis vnus, Cameneciam conueniunt, pacem & pactionem componũt, vt Bogdanus damna Regi illata reſarciat, & fidei obedientiæq́; iuramentum, legatis incoram præſtet; ad quod accipiendum Sigiſmundus Tomicium in Valachiam, ſimul & in Hungariam à Vladiſlao fratre ſubſcribendum, ablegârat. Quo etiam tempore legati Imperatoris Romani, vt res Pruthenicas agant, ad Sigiſmundum venêre, & hi vterq́; Vitalis Furſt, & Ioannes Kuchmaiſter, Iuriſdoctores fuêre. Fridericus etenim Crucigerorum magiſter, facta ad Imperatorem & Germanos Principes defectione, tributum Regibus Poloniis debitum, ijs diebus denegauerat; quem in fidem & tuitionem ille accepturus decrreuit Sigiſmundo communicare, & ſuper hac re iudices ſiue arbitros legere, ſuum, Pontificium, Regium, ſodalium, & quæcunq; ij dixiſſent eſſe.

per

Per eoſdem quoque dies, & Pontificis Iulij ſecundi, legatus, Iacobus Piſo, vir inprimis eruditus, Cracouiam venit, bella & pacem inter populos Principeſq́; Chriſtianos componens, & monens, vt hoſtem immaniſſimum Turcam, qui loca illa Chriſto Deo calcata aut cruentata, impunè illudit ac prophanat, ſimul iunctis viribus aggrederentur, & imminenti periculo barbarorum occurrerent. Vtq́; inprimis Sigiſmundus cum fratre Vladiſlao exercitum in Thraciã traijcerent, ad interitum Mahumetani nominis, quibus ipſe ſocios nauales, & modum pecuniæ certum, gentium Chriſtianarum miſertus, promiſit. Sed hæc Pontificis monita, vix non ludibrio apud nonnullos habita; qui propter turbulenta priuatorum cõmodorum diſſidia, hanc orationem cõmuni & ſuo malo aſpernabantur, religione ſocordiâ aut deſidiâ violata. Cuius rei Poloni anxij in conuentu publico, ob id ipſum Petricouiæ indicto, legato Pontificio reſponderunt. *Sigiſmundum conſentienti Iulio & Chriſtianitati non deeſſe, neque forre in re tam pia ac v-*

 tili

tili cunctatorem, potißimùm cum hanc ipsam militiam ad totius orbis salutem & quietem pertinere agnoscat; At oportere, vt Pontifex primò, õne studium suum & cogitationes, in discordijs Principum tollēdis, & pace populorum constituenda consumeret, quibus dißentientibus, solis Polonis rem tantam tentare, esset omnino ob viciniam periculosum. At tamen Vladislai fratris sententiam, & placita, in tam præclaro proposito, libenter scire desiderare, proindeq; ad eum mittere, Ioannem Lascium Regni Cancellarium & Nicolaum Firleium Palatinum Lublinensem. Cum hisce mandatis legatus dimissus, ad Vladislaum primò, deinde ad Pontificem redijt. Imperatoris autem oratoribus, seu futuris illis arbitris, dies dicta & locus Posnaniæ assignatus: vbi tempore pręscripto consederunt delecti ab Imperatore Abbas Fuldensis & Marchio de Mansueld: à Sigismundo Ioannes Lascius Archipræsul Gnesnensium, Vincentius Culmensis, Ioannes Lubranscius Posnaniensis, & Lucas Varmiensis, Episcopi: Andreas Samotulius Posnanień. Lucas de Gorka Lęczycień, Ca-

stellani,

ſtellani, & Ambroſius Pempouius Margeburgæ Præfectus. Additi & Sigiſmundus Targoueçius, Garſias Hiſpanus, Dominicus de Secimino, & Nicolaus Cepel, Iuris Doctores: à Sodalibus autem, Antiſtes Sabienus cum Prioribus cætûs. Pontificis vero legatus (is erat Achiles de Graſis) in Hungariam primò relegatus, ad promouendum Turcicum bellum, die pacta intereſſe haud potuit, ſed illis iam arbitris cum re infecta dilapſis, ad Sigiſmundum rediјt, mandata Iulij & conſilia Vladiſlai exponens; quorum ſumma. *Pace cum finitimis compoſita, vt arma pro religione ſumeret, & Vladiſlaũ iam cum Deo bono gerentem, animoſè iuuaret.* Sub finem præterea orationis ſuæ, inconſtantia ſodalium refutata, ius Regni in Pruſſiam Pontifice ſic cẽſente comprobauit. Quorum Magiſter Fridericus, ſpe pacis præciſa, (cum ne induciȩ quidem, quas illius Miſſi, decennales petebant, fuerint ab arbitris conceſſæ) vt & bellum & tributum eo anno euitaret, in Saxoniam ad fratrem Principem conceſſit, vbi & vita deceſſit. Achilli autem re-

 ſponſum.

sponsum. *Licet assidua & formidabilia cum Tartaris, hostibus fidei immanissimis, & Moscouitis in Schismate, barbarie obrutis, bella habeat & magno cum discrimine gerat, fratri tamen in laudabili proposito non defuturum, imò maiorum instituto ad sanctissimæ religionis propagationem regni sui opes vniuersas polliceri, seq; huius gloriosissimæ expeditionis, vel ducem vel comitem esse, non recusare. Sed multò placere, vt ad tempus iustum reponatur, donec inter Principes viros certò conueniret.* Et simul ad quosdam legati dimissi, vt post gratatam pacem, Regem ad omnia paratum, & bellum, contra religionis nostræ hostes atrocissimos, si cælitibus placet, suscepturũ nunciarent. Paucis post diebus, oratores Daciæ Regis accessêre, Helizabethem Sigismundi Sororem in matrimonium postulantes: sed virgo marinas tempestates verita, recusauit, & legati perliberaliter muneribus affecti dimissi, pactis sponsalibus haud confectis. Venerant quoque & è Moscouia ijsdem diebus legati, ius finitimis & iustitiam, petitũ: & per Cõmissarios qui rem introspicerent ab-

soluti.

ſoluti. Tum à Duce Scytharum Perecopenſium Mindikiereio, qui æſtate ea Tanaim tranſgreſſus Nohayſcenſes, olim ab ijs ſuperatus, inopinatò ſuperueniens, bis grandi prælio vicit, & ſupra ſeptuaginta captiuorũ millia, cum exercitu victore in Tauricam reduxit. Quo ſucceſſu elatus, reſilit mox à fædere Sigiſmundi, & Lithuaniam atq; Ruſſiam ferro & flammis peruaſtans, multa hominum pecorumq; millia, haud procùl Vilnam vagatus, abduxit, nemine iter ſuum demorante. Poſtea Valachiam depopulatus, parem hominum numerũ, cum cætera præda auexit: ſed cuius filius Bitikierei, cum aliquot ſuorum millibus, & ingenti captiuorũ numero, in tranſitu Neſtri gurgite hauſtus eſſet. Hos præda graues, & tardiùs ſeu liberiùs redeuntes, Kopac Valachiæ Polemarchus, à tergo obequitabat minitabundus, octingentos equites habens, & plures interea accedebant, præliandi cupidi, qui vltimum agmen opprimi poſſe arbitrati, maiori ardore quàm prudentia pugnam cum barbaris cõmiſêre, ſed à multitudine, pauci in

ci in orbem circumuenti, cæsi ad internęcionē cum suo Kopacio omnes, qui in dēsissimos ipse irrumpens, congestis telis & suffoso equo labitur pro patria, cum patricijs moriens, qui itidē fortibus ausis in vltimo discrimine propugnabant: in quo ignauissimus etiam quisq́;, desperatione ductus, hostes sæpenumerò, ne inultus cadat, insolitæ virtutis dextra, concidere solet. Igitur Bogdanus clade suorum perculsus, quantocius ad Sigismundū mittit oratum, vt si Tartari præda domum abacta, iterum (& fama erat) Valachiam incursare reuenirent, auxiliares copias tributario contra paganos, dare ne grauetur, & oratores suos in Moscouiam transire liberè permittat. Et hisce, cum rogatis concessis, oratoribus nondum dimissis, Imbraim Turcici Imperatoris legatus, venit à Sigismundo excipere iuramentum induciarum, quas ille cum Andrea Zakrzeuio, Regni Prothonotario fecesserat in annum, sed protendi vlteriùs Imbraim rogauit; verùm Sigismundus expostulantibus Christianis, & bellum haud dubiè molientibus,

recusauit,

recuſauit, & ſeſe eidem quoque expeditioni accingebat, Pontificis maximi hortatu, obq́; eam rem Conuentum Petricouiam, Proceribus indixerat. Sed vbi, non ſtudia modò, verùm aperta etiam eò ſuffragia ibant, vt Rex ſine Principum Chriſtianorum adminiculo, rem tantam aggredi non auderet, quam viribus proprijs exequi cum dignitate non poſſet, pollicitationibus verò cæterorum, quibus Vladiſlaus patruus, ad Varnam illicitus cecidit, non omnino fideret; licet hoc ipſum veram, ſolidam, & conſtantem omnium opinione gloriam in ſe haberet, quòd pro religione, dignitateq́ue Chriſtiani nominis, reformidato omni vitæ periculo, cum hoſtibus Chriſtianorum regna affectantibus, decertaret pius; tamen, ſi aliquid ſecus quàm oportet acciderit, conſilium noſtrum temerarium, & offenſio ab õnibus exiſtimabitur, & Regio nomini haud mediocrẽ maculam dedecoris inuret. Placere itaque multò, vt donec Pontifex ſingulos ex Principibus, ad auxilium mutuũ ferẽdum concitaret, Sigiſmundus pelliti Scythę rabiem,

à finibus regni propulſaret, & cogitaret ſedulo ſerioque, quomodo tantam gentis impuriſſimę audaciam & temeritatem reprimeret virtute, & cõpeſceret interitu funeſtiſſimo, vt Roxolanorum agri, Podoliaq; contermina, à barbarorum incurſionibus, ictibuſq;, ſarta & tecta eſſe poſſit: qui Turcis in id bellum conſentiẽtes conatus noſtros ſua numeroſitate & celeritate impedire poſſunt, ſiquidem & per ſe propter religionis diſſidium, ſunt Chriſtianis infenſiſſimi. Iam verò cum tantis hoſtium copijs, quantæ Turcicæ & Tartaricę ſunt ſimul, æquo in loco decernere cuius rationis ſit, quilibet facile iudicare poteſt, Chriſtianis præſertim diſſentiẽtib9. Diu itaq; volutatis inter ſe rationibus cõcluſum à Patribus, vt Rex Bręſte profect9, in cõfinio prouinciarũ æſtiua haberet, quatuor autem equitũ millia, in excubiis Camenecię, qui, ſi fortè Tartari Selymi iuſſu regnum infeſtarẽt, ſint & patriæ cũ Podolica Nobilitate præſidio, & Valachis in tẽpore ſubſidio, donec Sigiſmũdus ipſe cum aulico ſuo comitatu & copijs ſuperueniret: In eodem publico cõuentu, Vladiſlai Regis & Friderici Mar-

cī Margrauij Brandeburgeñ. oratores à Sigiſmũdo Senaruq́; poſtularunt, approbationem Principatûs ſeu magiſterij Crucigerorũ Pruthenenſiũ, Alberto Friderici filio, tributũ & iuramentũ mox pro more præſtaturo. Data ea abſq; mora, ſed Vrãtiſlauiã per Petrum Tomiciũ ad Vladiſlaum relegata, Toruniũq́; ſtatim ad accipiendum iuramentũ, quidam ſunt miſſi: ſed cũ re infecta ad Sigiſmnndũ reuerſi. Nam Albert9 ſolito ſodaliũ faſtu elatus, recepta illa approbatione à Vladiſlao, iuramentũ cũ tributo haud præſtare voluit. Et ne quiſpiam cũ exercitu à Rege, ex comitijs ob id dimiſſus, ſui Principatus fines inuadere poſſet, omnem vndique aditum firmis præſidijs ſepſit. Sigiſmundus autem comitijs abſolutis, porrò Breſtẽ mouit, & quoſdam partium Glinſcij, rogatu optimatium carcere ſoluit; quem inibi morantem Principis Tauricani legati conuenêre, ad pacem, & reuera ad pactionem inuitantes, vt obſides filium cum nepote acciperet, ſibi autem ſoliti ſtipendij quindecim millia aureorum daret, parato cum copijs ire, quoquò neceſſitas Regni poſtulauerit. Quid multa? per-

ſuadetur Sigiſmundo, fædus dat & accipit, ſtipendiaq́; promittit, licet ſciat barbarum fidum non futurum: Nam ille eò ſe continuit, quòad pecuniam non acceperit, hac verò obtenta, ponit perſonam, ſumit vultũ & affectum, ſtatimq́; cum quadraginta ſuorum millibus, Valachiam populaturus ingreditur, nixus vt putabatur occulto fauore & gratia Principis Turcarum, cui filiam nuptui locârat. Cæterùm Bogdanus, cautus & monitus, arma & manus ſuorum ſpectare, finitimorum auxiliũ implorare, & ſolus hoſti obuiam audacter ire. Cui Vladiſlaus mox ſexcentos pedites, ſeptingentos autẽ equites ſubmittit. Sigiſmundus verò, illa quatuor haſtatorum millia, quæ cum Ioanne Tuorouio, & Staniſlao Lanckoronio in Podolia excubabãt, ſubſidio mittit. Sed barbaris Neſtrum adhuc ſuperantibus, nunciatum eſt Nohaijſcenſes Tartaros, incurſionẽ ſuo diſceſſu cognito, in Perecopum feciſſe, & vxoribus, filijs, fortuniſq́; omnibus acceptis, pecora etiam ſecum auexiſſe, adeò vt pauci mortalium reſtarent, qui vim aut manus

nus illorum effugerent Igitur tristi suorum fato perculsi, in Perecopum retro agmine eunt, & Valachis omissis, hostibus bellum inferre parãt, finitimos in belli societatem Scythas, accersendo. Sigismundus quoque his renunciatus, vt oratores Selymi audiret, Cracouiam rediјt: & illi multa de pace, eiusq; vtilitate disertè locuti, fœdus perpetuum postularunt renouari, maioribus suis cum gente Polona, olim sanctum & inuiolabile asserens; verùm Sigismundus, in communem & piam militiam, Principes viros consentire ratus, vt & ipse aliquid insigne, pro Christiana religione ederet, spe pacis pręcisa, legatum dimisit. Initio autem anni insequentis, qui fuit millesimus quingẽtesimus duodecimus, à Christi natali die, Sigismundus fratris Vladislai suadâ, Barbaram, Cazimiri Cesinensium Principis neptem, multo ingenij corporisq́; lepore aut Venere, coniugẽ despondet, cui Pater Stephanus, Transyluaniæ Dux Scepusijq́ue Dynasta erat, opibus clarus, & earum vsu. Quâ iam desponsata, & tempore nuptiarum de pacto, Maximilia-

nus Imperator, offerebat, ei in matrimonium, virginem Italici generis, forma insignem inquiens esse, & Regijs planè oculis dignam. Cui Sigismundus sponsam se iam habere, respondit, eamq; ob fidem deserere haud posse, quam solius pudoris legibus, non metûs vllius, adstringentibus, in matrimonium assumere debere: ac proinde obnixè rogare, vt pro veteri amicitia & affinitate, Imperator nuptiarum diem sua præsentia, condecorare velit. Cæterùm ille, talibus responsis permotus, & cum suo studio planè contemni ratus, extemplò Crucigeros in Sigismundum attolere, & Moscouitas quotidie stimulare non desinebat, ipse bellum ob id machinatus; impulitq; sermonibus inprimis Moscos, vt contractis ingentibus copijs, bellum vltrò renouarent, & exulceratum sinistris opinionibus animum non nisi multa sua cæde sanarent. Sponsa autem Sigismundi, à Ioanne Lubranscio Antistite Posnaniēsi, Christophoro Sydlouecio Castellano Sendomiriensi, & Luca de Gorka, Maioris Poloniæ Generali, grandi comitatu, & regia

pompa,

pompa, ad octauum Idus Februarij Cracouiam est deducta, quam & mater Heduigis comitata, cum fratre Casimiro & Ioanne Filio. Hos venientes Sigismundus extra vrbem obuius excipit, manu & complexu, per Ioannem Lascium Archipræsulem Gnesnensium consalutans, dehinc ciues vrbis & Academiæ professores introductura, pro more antiquo gratantes, ritu solenni salutant. Tum viæ, templa, domus, ornantur, mensæ & diuersoria apparantur, Rexq; portam & arcem ingressus, nuptias festo apparatu peragit, capiti diadema coram senatu populoq; imponit, & Reginam per Archiepiscopum eundem appellat. Fitq; clamor coronæ, iubilus fausta precantium, & disertæ doctorum virorum acclamationes, patrio ritu congratulantium; & nec immeritò; omnibus enim virtutibus instructa & informata, adeò frugalis, modesta, & casta erat, vt nec rumor de ea tota vita mentiretur, aulaq; illius nil nisi palæstra honoris & virtutis esset, qua ipsa à Deo consecuta est, vt solennem nuptiarum illius diem, plurimi Principes,

varij

varij oratores, Clarissimi Duces, imo Cardinales nonnulli, cum Patriarcha Constantinopolitano, sua præsentia condecorarent: & illius rogatu multis miserrimis delictorum gratia facta, vita, præmia, honores, imperia etiam collata essent, sic, vt passim spargerentur vota & voces. *O bonam Heroinam, aduentu felicem, & dominatu vtinam felicissimam.* Perecopensis autem Barbarus, licet ex iureiurando, apud Sigismundum stipendia faceret, nihilominus tamen vere appetente Russiam populabundus, castra inter Buskum & Oleskum oppida metatus, quinque & viginti suorum millia, palatum globatim dimisit, & cunctam regionem illam, metu ac pauore plurimo affecit. Quod postquàm ad Sigismundum perlatum est, aulicum comitatũ suum, ad stipendiarios, & vtrosq; obuios barbaro misit. Verùm priusquam peruenirent isti, Lanckoronscius Camenecensium Præfectus, in omnem euentum benè intentus, prior audacter aduigilat ipse, comites & milites colligit, & cum hac manu aduersus hostem pergit, phalangẽq́;
grandem

grandem ad Belkam palantem, ingentibus auſis aggreſſus, totam in loca paluſtria coactam, ad internetionem deleuit. Aucti inde animis incolæ, vndiq; ad reprimendam, efferatam barbarorum rabiem concurrunt, prædam auehentes reprimunt, & nihil reliqui ſibi ad diligentiam faciunt, vt fidem & operam ſuam Regi ac Patriȩ probent. Lanckoronſciuſq; ipſe, cognita illorũ per exploratores poſitione, cum animosâ audaciâ, ne dicam temeritate, ſitum explorabundus, ſolus adijt, ſolus redijt, & illico eos aggrediendos ſuaſit. Sed interim Conſtantinus, duo veteranorum millia ducens aduenit, qui mox auctus ijs qui ſe in via & per noctem vltrò addiderant, ad ſex millia bellatorũ in vtriſq; noſtrorum caſtris luſtrauit. Et auidè omnibus pugnam depoſcentibus, contentio honeſta inter centuriones, & manipulos de ordine exorta, vt pote præire ſeu primam aciem tenere nonnullis contendentibus: & Conſtantinus hoc quidem, ſuis præceperat, vt gnaris conſuetudinis Scythicæ, qui forti ſuo congreſſu, cæteros etiam animarent.

ret. Verùm Poloni armis, equiſq; ſe potiores eſſe dicebant, Conſtantini verò equitatum, licet fortem eſſe, & longo armorum vſu exercitatũ, nudum tamen; & qui ſola pharetra ac gladio ſuccinctus, impreſſionẽ barbari, ſuſtinere non valeret. At Conſtantinus; *alium eſſe modum agendi cum hoſte phalerato, ſeu loricis onuſto, & alium cum Scytha inſidioſo, qui tunc primùm dũ cedit, pugnare cum hoſte incipit, vel locum fraudi ſimulatione fugæ parat.* Et interim cælo iam albeſcente, exploratores attulere, barbarũ caſtris de nocte motis, ad Viſniouecciã appropinquare. Ergo contentione omni ſepoſita, Conſtantinus aciebus eductis, ſuos dextrum cornu, tenere iubet; ſiniſtrum verò Polonis, & in eis Nicolao Kamenecio cõmittit. Fitq; conflictus, ad fluuium Horiniam, anceps & cum diſcrimine; maiore etiam metu Conſtantini, qui ſuos fugam appetentes, ægrè ad prælium reuocat, nam Lithuani corpore nudi, nimbum ſagittarum; ſuſtinere non valentes, fluctuare multi incipiunt, dilabi alij, & transfugere. Donec Albertus

tus Sampolinius, cum Iacobo Potoccio recentes, inſtantium tergo barbarorum, impetũ repræſſerunt, Conſtantinusq́; interim, cum præcipuis ductorum ſuos collegit, & præliũ redintegrauit. Cuius barbari impetum cum ſuſtinere nequeunt, omnes quotquot ſunt in vnam, eãq́; magnam phalangem, conueniunt, & noſtros ſua numeroſitate circumueniũt, paucis, qui prędam cum captiuis tutarentur, relictis. Fitq́; pugna atrox, & cruenta, fortuna belli domina, nunc his nunc illis, victoriam offerente, & duces ex vtraq́; parte ludificante. Cum itaq́; Marte decernitur vniuerſo, vna Polonorum cohors, in hoſtium caſtra valido impetu prorupit, & captiuis aliquot diſſollutis, noua ac recentia, cum hi alios ſoluiſſent, ſubſidia, ſibi ipſis effecerunt. Quod hoſtis conſpicatus & turbatus, ſubducere ſe ac cedere ſenſim cæpit, regius verò animatus, cædere, vrgere, ſternere, & in hoſtem de fuga iam cogitantem acrius equos promouere. Sed recuperat vires ille, & alacer animi, pugnã iterum reſtaurat, magno ſublato clamore; edũturq́;

turq́; vtrinq; vulnera multa, ex hoste plures cadunt, è regijs equi non pauci cõfodiuntur sagittis: & armorũ, equorũ, militũ, strepitu, clamoribus, aut cõclamationibus cælum cõplebatur. Sed Constantinus cunctos aut singulos admonendo, nihil in rebus tam arctis prætermittere, quòd strenui militis, aut fortissimi ducis esset, quippe qui nunc voce, nunc præsentia, sæpè etiam gladio suis aderat, effecitq́ue vt desperatis tandem barbari viribus, in fugam consternati abirent, præda omni amissa; & nec tamen omninò abirent, sed interirent trucidati, nam regij locorum ipsi periti, intercipiunt fugientes, aliosq́ue vulnerant, & alios resistentes cædunt. Dux modo ipse euasit, sed ad tantam paucitatẽ redactus, vt vix decem equitibus comitatus, in Perecopum effugerit. Captiuorum præstantiores ad Regem Cracouiã missi, ignobiliores verò ad arces relegati, equorum hostilium millia decem capta, mortalium veró qui in seruitutẽ perpetuam trahebantur, sedecim millia recepta, & signa hostilia omnia. Vi igitur desperata

Pereco-

Perecopensis, ad fraudes se vertit, & Sigismundum ad pacem, etsi parum fidam aut diuturnã, iterum inuitat, filiumq́; Dzaladynum obsidem, Vilnam extemplo mittit, & se stipendia facturum iam fideliter promittit, modo sibi precium institutum non denegetur. Votiua conditio omnibus visa, atq; ipsis maximè Proceribus, qui proprias opes cogitando, affectum & curam à talibus abducunt, & tamdiu boni sunt, quamdiu honores & præfecturas non assequuntur; impleti autem, lassantur & se inflectũt. Verùm Sigismundus renunciari liberè iussit. *Non capi aut illaqueari se amplius barbara Mindikierei fraude, quod si rectam & non temeratam pacem secum iniret, vltrò se socium fore, sin aliam, nullo pacto aut precio velle, imo malle illud in militem conferre, qui præsidio Podoliæ esset, quam illi perfido & insidioso dare. Et eo magis, ne tribuendi barbaris consuetudo inde oriatur, atque occasio, idem Turcis expostulandi.* Dzaladinus etiam Rege haud viso, febri in itinere debilitatus, vita decessit. Posthæc Sigismundus ad ar-

cem ædificandam conuersus, passim noua ac vetera opera, faciebat aut reficiebat, quam breui, tum opere egregiam, tum sumptu magnificam Cracouiæ effecit: votiq; compos ac reus, altare argenteum & cætera ornamenta, cum Fano eximiæ pulchritudinis sanctissimæ VIRGINI dicato & ditato ædibus D. Stanislai addidit, atq; perfecit. Subq; exitum anni Conuentum ordinibus Petricouiæ indixit, in quo edixit legatos ad Pōtificem, Imperatorem, Pānoniæ & Daciæ Reges, qui res cōmunes, & pacem agerēt, mittendos. Vbi simul & Vladislai legatus auditus est, is qui post gratatam de barbaris victoriā, Turcicum imperatorē infirmæ valere, & morti vicinū esse nūciauit, qui si decessisset, mox Vladislaum copias in Thraciam moturum. Ergo ageret, cum Deo benè iuuāte, expergisceretur, & vel solo amore impulsus, fratrem iuuaret. Cæterùm Sigismundus, hortatus Vladislaum, ne temerè tam potentem hostem, solus aggrederetur, sed adminiculum cæterorum, & benigni Dei manus erectus expectaret, Donec Principes

cipes Christiani pace interiùs firmata, singuli suas vires in eius perniciem conuertissent, quibus nec ipse refragabitur aut deerit. Aderant quoq; eidem Conuocationi, priores cœtus Marianorum, cum Casimiro Brandeburgi Margrauio, fratre Alberti Principis illorum, vt pacem & pactionem cum Polonis perpetuam sancirēt: quæ hisce conditionibus scripta est. *Sigismundo Polonorum Regi, & Alberto Crucigerorum Magistro, Sodalibusque Prussiam inhabitantibus (quod Deus O. M. benè vertat) sine fraude, sine dolo malo, pax inter eos perpes esto. Et qua potestate, aut quo iure Summus Sodalium Pruthenensium Magister Albertus, à prioribus cætus electus fuit, eodem iure, potestateq;, post præstitutum Regi iuramentum, vtitor, perfungitorque, & nec Polonos exhinc amplius, ad religionē sui cætus admittito. Quas vero vrbes, quæque oppida, aut quos fines sodales, in Prussia olim sub Regibus Poloniæ tenuére, vel quo imperio tenuere, sub Sigismundo etiam, eodē teneto, populisq; ita moderator: & ollis legibus queis olim viuito. In Russia demum seu Podolia, tractum aliquem*

sodales

ſodales, & Albertus à Sigiſmundo habeto, cũq́; barbaris pro religione, aßiduè pugnato, ac ob eã rem aurêum millia duo ſtipendij ergò, quotannis regio ex erario, regijſue è vectigalibus dinumerata capito. Sicq́ue pace facta, & rebus cum Sigiſmundo compoſitis, Caſimirus conditiones aut pacta iſta, Alberto fratri celeriter retulit, die & loco præſtandi iuramenti, Poſnaniæ depacto. Quod vt Sigiſmundus reciperet, cum noua nupta, eorſum mouit: quæ dum inibi agit, grauida eſt facta, & peperit Heduigim filiã, auiæ nomine appellatam, atque olim Ioachimo, Margrauio Brandeburgenſi nuptam. Albertus autẽ die aſſignata, non ſe ſtitit Regi, ſed Epiſcopum Pomeſaniæ mittit, qui aliam diem & locum, edici à Rege poſtularet. Rex dolum odoratus, ſubita ira (cui nec ſapientes ſunt ſemper pares) moueri primo & indignari, quod à ſuis deluderetur tam ſæpè: ſed perſuaſionibus mollitus, & conſanguinitatis recordatus, ira omni depoſita, ſuſtinuit ſe & moderatus eſt, dilataq́; cognitione Albertum hortatur, vt ſe liberet ſuſpitione,

expleret conditiones, & faceret demum quod ex æquo & vſu videretur. Verùm ille Imperatore attolante, qui & Moſcouitas in auunculum excitabat, de belli potiùs ratione, quam de cõditionibus fœderis cogitauit, & vt ſic triplicatis viribus, Poloniam aggrederentur ſimul: iamq; fœdus cum Baſilio Moſcouiæ Principe, percuſſerat Imperator, vt itidem & ipſe in ſocietatem belli, aut potiùs victoriæ veniret; legibus ijs, vt Polonia quidem Auguſti & ſodalium eſſet, Lituania Baſilij, Teutonicis mòx armis ſubiuganda. In hanc rem firmandam, Sleynic Miſſniæ eques, & Lata Bohemus, mercator & ciuis Cracouienſis ab Auguſto cum artificibus, pro comparandis machinis & arcibus, mittuntur, nauigant, legunt oram Liuoniæ, & Naruam deueniunt; tum à Dynaſta vrbis, quis, quo, quare, rogantur. Illi noua & vtilia ſe adferre dicunt, & aiunt ab Imperatore, ad Principẽ Baſilium mitti, vt fœdus in Sigiſmundum & Polonos iungant. Itaq; Dynaſta honore honeſtat, proſequitur, & additis comitibus ad Baſilium mittit: ad

 quem

quem introducti, mandata dant & accipiunt, deq; re tota peragunt & definiunt. Ille re audita, ſenatuſq; eius lætari, ouare, & cælitùs tam opportunum auxiliũ à potenti principe, in rebus votiuis miſſum opinari, & protinus bellum ſumma vi comparare. Nihilq; iam ſupererat, niſi vt ipſe in Lithuaniam, Imperator in Poloniam, & ſodales in vicinam Maſouiam cum exercitu venirent, & ſunus res Polonæ eſſent. Sed Deo aliter viſum, qui conſeruare voluit ſuos, nam & conſulta conſilia eorum turbauit, & Patriæ proditores, iuſtis pænis affecit, illeq; idem Lata captus, mortem ipſe, infamiam fautores eius ſubierunt. Baſilius tamen, haud ſpernendam occaſionem, & auxilia tam potentium fæderatorum ratus, reſilit mox à fædere Sigiſmundi, cui mox bellum infert, & in Lithuaniã transfert, ac primo oratores ad Imperatorem, proprijs diffidẽs viribus, per Pruſſiam ablegat, diadema ſibi regale mitti, & ſuppetias in bellum expoſtulans. At Sigiſmundo, omnia conſilia & pacta detecta; & quid iſti illiuc moliantur gnarus, conuentũ or-

dinibus Regni, Radomiam indicit, consultat, atq; inprimis Perecopensibus Tartaris, stipendia dari edicit, vt antequã ipse domesticæ tranquillitati seruientia componeret, aut disponeret, illi euastaturi interiora Moscouiæ inuaderent. Sic re cum suis considerata, conuentuq; dimisso, in Lithuaniam cũ vxore profectus, exequias pompa regali, ritu vero Ecclesiæ orientalis, persoluit Helenæ, Alexandri olim Regis coniugi, quæ erat filia Basilij, Principis Moscouitarũ, & religionis Græcanicæ, ideoq; Roxolanis addicta, Polonos maximè execrabatur, & in Moscouiam sæpius, retentâ fugam tentauit. Hæc autem Sigismundo Vilnæ agenti, arcem inferiorem, quæ lignea & affabre ab illo exædificata erat, ignis violentia vltra solitum adfecit, deustis circumiectis ædificijs; quod à curiosis notatum est bella futura & motus designare, quia & parua etiam sunt, magnarum sæpe rerum signa. Moscus autẽ vere appetente, bellum Sigismundo magnis viribus parabat, atque ipse renunciatus, pariter se accingebat, sed antequam in Lithuaniam mouisset,

vnum ex aulicis ad Albertum & ſodales Pruthenenſes ablegauit, qui hortaretur, vt Caſimiri interuentu conditiones ſcriptas, explere velit; verum is & illi, pro ſuo tunc more turbas daturi, ad alios Italiæ Germaniæq́; Magiſtros appellant, & à ſe parum validi, auctoritatem vel auxilia à Põtifice, Imperatore, & Principibus Germaniæ petunt, Sigiſmundumq́; ad Conciliũ Lateranẽſe citant, ſed fruſtra. Nam Laſcius Archiepiſcopus, qui tunc Romæ legatus agebat, & rebus Sigiſmundi ac publicis intendebat, cum alijs plurimis rationibus; tum vſu ipſo declarauit, Poloniæ Reges ius poſſeſſionis in Pruſſiã, ex antiquo habere. Imperator etiam, qui ipſe ærarij premebatur inopia, auxilia tunc ſubmittere illis haudquaquam poterat, modo animos dabat Moſcũ attolendo, quem itidẽ Glinſcius aſſiduè ſtimulare in Sigiſmundi odium non deſinebat. Principes quoque Germanorum, clade toties ſuorũ in Pruſſia accepta, ab armis conquieuêre, veriti ne nunc quidem pænas obſequij luant. attamẽ, pro ingenio gentis Polonos vindicaturi, duos

libellos

libellos qui criminationes & conuicia continerent, in publicum edidêre. At Sigiſmundus interim conuentu Proceribus Lithuaniæ Vilnam indicto, iuſſit decem equitum haſtatorum, duo autem peditum ſclopetariorum millia, è Polonia conſcribere in Moſcos, iuncturus illis nobilitatem Lithuanicam: adſciti quoq; & Perecopēſes in commilitium, ſtipendio quod denegatum erat, iterum, cum de ſumma belli agitatū eſſet, indicto. Et machinæ, currus, inſtrumēta & tormenta bellica, diligenti opera parabantur, licet & Pruſſiam inquietam relinquere periculoſiſſimū erat, in qua poſt ſuum diſceſſum, ingentius repullulaturum intelligebat bellum præſertim imperatore ſuppetiante vel excitante. Baſilius verò, iure neceſſitudinis contempto, paciſque fæderibus ſpretis, Glinſcium cum manu aliqua vere nouo præmittit, & nullo indicto bello finitimos Smolenſci agros, propinquamq; Seueriensium regionē populationibus euaſtat, Deniq; munitionum aliquot, oppugnatione irrito tentata, ad ſuos comminutus redit, & in vicinā

quandam arcem ſe recipit, nam præſidiarij cognito regem propediem cum exercitu affuturū, obſidionem indies, magis magiſq́; contemnebant, & deſpiciebant ſecuri oppugnationem, imo quotidianas penè & vbique eruptiones ex oppidis cum facerent, prælijs ita laceſſebant, vti multos è Glinſcianis vulnerarent, calones autē palantes omnino occiderent aut caperēt, quos ille in loca diuerſa frumentandi gratia, multos dimiſerat. Nec multo poſt Baſilius ipſe, grandi exercitu collecto, Michaeli ſubſidio aduolat, & arcem Smolenſcianam oppugnaturus, caſtra ad ipſas propè foſſas admouet, tormentiſq́; adhibitis, munitiones (quæ ligneæ tunc erant) tribus menſibus quati aſſiduè iubet. Cæterū omnia oppugnātibus aſperiora indies erant, paſſim enim & totis caſtris, milites glandibus piliſq́; expoſiti, velutipecora trucidabantur, nullo munimenti genere protecti. contra obſeſſi, vel ipſa arce defendente, quam aggeres circumducti horrebant, & munitiones turritæ cum foſſis, frequentibus etiam ſclopetis, colubriniſq́; inſtructæ

ſtructæ defendebant, ſecuri, nihil trepidare, in ſua & præfecti virtute (Solohub is erat, impiger vir, & bellicis in rebus multos annos exercitatus) fidere, & animos ſupra periculum habere. Igitur deſperata Baſilius oppugnatione, iam agreſtes populabundus ab obſidione receſſerat, cum Glinſcius accedēs, potiundæ arcis animos, & ſpem plenam fecerat, modò ea ſibi iure perēni concedatur. Baſilius audito, lætus, & ad exiſtimationem ſuam, qua nihil in rebus humanis maius ac optabilius eſt, plurimum valere ratus, promittit, & dimittit collaudatum, ſcriptoque incertum approbat donum. Ergo Michaël ſpei vtriuſq; plenus, clam cum hoſte colloqui, & de arce dedenda paciſci, ſtipendia vberiora & aurū præſens promittens. Quod ægrè Solohub ferēs, ipſe plenus animi & conſtantiæ, cōpeſcere conabatur, & diremptis colloquijs, tormenta verti in hoſtem iubet; ſed milites ignaui, & hi Roxolani, Moſcouitis maximè addicti, & quod inclinationi momentum, promiſſis onerati, ſe & arcem Glinſcio dedunt, (quam Vitoldus ante

centenos

centenos annos Lithuaniæ adiunxerat, Moſcouitis expulſis) præfecto fruſtra reclamāte & minante. Quo cognito Baſilius, ex caſtris protinùs aduolat, & poſtridie deditionis equo inuectus, in æde maiori ritu Græcorum diuina celebrari iubet: & hymnis abſolutis eam cum reliquis, & arce, ornamentis ſpoliat, ingenteſq; theſauros cum illis ipſis militibus, contra deditionis ſtipulatæ fidem in Moſcouiam relegat, paucis è nobilitate relictis, ijſq; ſacramento adactis, quorũ nonnulli in fide regia conſtantes, fortunis omnibus amiſſis, in ſyluas diffugêre, atq; inde Vilnã deuênere, vbi collaudati à Rege & benignè habiti ſunt omnes, conſtituto etiam ſatis liberali ſtipendio, & pagis in Lithuania conceſsis. Qui paulo ante, veluti Genio quodã ſtimulatus, illis ipſis præſidiarijs, non munitionibus Smolenſcianis, quæ planè inexpugnabiles erant, diffidens, Ioannem Spargaldum, cum quingentis peditibus Polonis, ſubſidio Solohubo miſerat, qui cũ eo arcem curarēt & tutarentur: Sed is arce obſeſſa, vel iam capta, Orſæ ſubſtitit, inconſideratiſsimam

tiſsimam temeritatem eſſe reputans, ſi iam in hoſtium poteſtate arx fuiſſet, vltraprogredi, vt parua illa manu conſtipatus, cum maxima hoſtium multitudine, ſine vllo fructu dimicaret. Sigiſmundus interim cùm primum nuncium de arce amiſſa accepit, nullam moram interponẽdam exiſtimauit, quin eam hoſtibus ex templo pulſis reciperet in poteſtatem. Itaq́ue literas eadem die, ad omnes copiarũ Duces, & ad viros Principes, ac vniuerſam denique nobilitatẽ dedit, vt quam primùm poſſent armati Minſcum conuenirẽt, quò & ipſe cum ſuo comitatu, tanta celeritate iter ſuſcepit, vt vix vllum tempus reficiendi corporis gratia, ſibi ſumendum exiſtimaret, ne oportuna recuperandi occaſio, quæ aliter reuocari non poſſet, fruſtra moranti elabatur. Nihil itaq; de ſuſcepta alacritate remittẽs Minſcum primò, dehinc Boriſſouiam deuenit, Hic dum copias luſtraret, Pontificis Maximi legatus (Leonis Decimi) vir multæ eruditionis Ioannes Piſo acceſſit, pacem intereum & hoſtẽ, quod Chriſtianus vterq; eſſet, agitans ſeu com-

 ponens,

ponens, licet in Schiſmate poſterior. Cui Rex, *pacem ſe non aſpernari neq; recuſare, ſed cum pacis contemptore aut violatore rem habere, quã ille perfidus, dum Principum interuentu, & fœderum nexu, ratam durare non ſinit, armis coactus aut adactus ſtabilem ſeruabit. Se verò amplius tantam hominis impuriſsimi audaciam & temeritatem, impunitam ſufferre non poſse, quæ iam interitu funeſtiſsimo, debuiſset meritas facinorum & ſcelerum pœnas exoluere.* Dixit, & generoſa ira in hoſtẽ acies ipſe produxit, exemplo aut terrori futurus; ſed renitent & retinent optimates, quod in eius ſolius capitis ſalute, tot populorum ſalus cõtineretur, adduntque quatuor ad cuſtodiam equitum millia, nouem verò & viginti, alacriter in hoſtem vadunt, veteri & laudabili Polonorum more, venerabili ac myſtica hoſtia mirificè præmuniti, aduerſus inſtantia pericula quæque; Nec abſq; futuræ victoriæ præſagio, quod & grandis multitudo coruorũ, vulturum, ac miluiorum, caſtra crocitantes comitabatur, & pueri prælium inter ſe per ludum exercen-

exercentes, partem illam quę Moſcouitas præferebat, in turpem fugam illico conuerterunt. At Baſilius cura proditorum Smolenſco capto, ſpes ſuas longius porrigebat; ſed & animũ euexerat, octuaginta millibus in Lithuaniã miſsis, vt tota excurſationibus peragrata Vilnam vſq; deuenirent & obſiderent, quoad ille ipſe maioribus cum copijs veniens expugnaret communitam. Et interim Glinſcius; nemeſi diuina oppreſſus, Smolenſci aut præmij loco, carcerem apud Moſcum, turbulentus obtinuit, cum illo denegato rurſus de proditione cum Sigiſmundo agitari cæpiſſet, atq; eo ipſo reconciliari per Vladiſlaum ſtuduiſſet. Vnum itaque ex fidis amicis miſit, ad explorandum in ſe Sigiſmundi animũ, qui poſt rei conceptæ explicationem veniam & reditum tutum in patriam poſtularet. Hæc Sigiſmundus cum patribus extemplò cõmunicat, & quid facto opus, deliberat, Iezouiumque ex aulicis, quaſi veniam adeundi Pontificio legato petitnm, ad Baſilium mittit, ſed qui literas clam Michaëli deferret, & cum eo de arce dedenda

rebuſq́; communibus ageret. Cæterùm, Optimatium Lithuaniæ quidam inſenſi & infeſti illi, mox â recenti inditio digreſſi, animum Michaëlis Baſilio aperiunt, & execrabili odio incenſi, etiam falſa in eum inierunt, vt hominem è medio tollant & reducem in patriam non admittant. Territus ille hac denuntiatione, vt & conſilia conſulta euerteret, & Sigiſmundũ à Smolenſco auerteret, in vincla Michaëlem condit. Iezouio autem crura ferro candenti perforare, & vnguibus clauiculos ligneos infigere iubet feruente ſuper pedes prius effuſo. Trepka vero Vladiſlai legatus, etiam ad Michaëlem ex Hungaria miſſus, verui adligatus & aſſatus erat. Attamen vterq́ue, adeò conſtans hæc inter tormenta fuit, vt nón modo conſciorum aut commiſſorum quidquam non eddiderunt, ſed nec hilum: & tyrannus conſtantia illorum victus deſtitit, hominemq́; è famulitio ſubmiſit, qui eximeret & liberaret. Michaël quoq́; eadem ipſa illorum conſtantia liberatus, Baſilio extitit gratioſus, adeò, vt eius curæ moriturus, filios

Imperiũ-

Imperiumq́; totum committeret, & teſtamẽto tutorem generalem legeret; ſed cui tamen precium operę mors à carcere fuit. Dum enim Helenam Baſilij fratris filiam, poſt Principis Baſilij deceſſum viduam, paulò acrius caſtigat & monet, quod parum caſti corporis eſſet, & copiam vſuramq́; ſui obtuliſſet Duci cuidam Ouczyna, ſęquiſſetq́; adhæc paſſim in Proceres & in vulgus: perdolitum id fæminæ (veteres ab eo iras & calumnias ſcimus, maximè autem cum ſunt ſui iuris ac ſpontis) atq́; mox ad facinus ſe vertit, patruum, benefactorem & tutorem proditionis inſimulat, & tempore etiam ipſo iuta, in vincla miſſum carcere cuſtodit, cui & immoritur. Cæterùm nec ipſa diu ab hoc facinore ſuperuixit, ſed veneno extincta, quæ meruit tulit. Ouczyna quoq́; ſuus amator, fato ad Starodubum captus, carcere ſimiliter vitã in Polonia finiuit. Sed redeo. Cognito Baſilius per exploratores exercitu Sigiſmundi, quod multò ſit numero inferior, iubet ſuos prælio inſtruere, & velitatione ad dimicandũ prouocare: quod ſi inopinato

procurſu perculſi, retro agmen connertiſſent, properis itineribus occurrerent, & intra Bereſinenſes fauces cum tormentis conſiderent, vbi ſub confluentem Cōſtantinus, caſtra poſita habebat. Signis igitur Moſchi ad fluuium Bereſinā motis, vt primùm diluxit, acies in adúerſa ripa producunt, & cornua tubaſq́; occanere iubent, quò maiorem metum regijs incutiant, voce cōpellans, increpitans, & fœda conuitia in Lithuanos (quos maximo & exaſperato odio proſequuntur) iactans. Tum Conſtantinus venientem in acie hoſtem conſpicatus, expediri arma in caſtris protinus iubet & manipulos producit, rem in dimicandi neceſſitatem, quod vnnm cupiebat, adductam cernens, ſed tamen, felix auſpicium reputans, quod fluuium vado tranſgrederetur ſecundo, habentem littora tenacia graui cæno, circumq́; ſyluas paulatim adcliues & limoſas. Oppoſitus itaq́; & celerandæ victoriæ intentus. *Macti* inquit, *milites eſtote, quia quē in campis hoſtem indipiſci auebatis, en ante oculos poſitum habetis, & vltrò aduentantem ipſi cernitis.*

cernitis. Agite ergo, incurrite fortes, ruite peruij, & eo quo soliti estis robore, aut quibus vincere consuestis animis, insilite audaces. Dij audentes & volentes iuuant. Et iam signa canere incipiebant, cum Moschi regios pugnæ auidos conspicati, mox prælium iustum detractare, cohortes subducere & acies cateruatim ad Borysthenē reducere, territi tristi fato Kisielicij; qui pridie fortunæ euentum tentans, bis suetas apud paludes leui prælio congressus, mille primo trecentos, duo deinde millia in acie amiserat, ipse cum præcipuis interceptus. In quo congressu Ioannis Boratinij, viri acris atq; impigri, tum commilitones animando, tum manu cum hostibus rem gerendo, virtus spectata & laudata. Ingruētibus igitur tergo regijs, insidias Moschi struere tendunt, & simulatione fugæ in planiciem saltibus circumiectam trans Borysthenē trahunt, rati maiori cum impresione vadum superātes proturbare posse, qui seriò non ausum congredi hostē intelligens, effuso cursu consectabantur, inque ipso transitu amnis consectati, extremum agmē

remoran-

remorantur, & cædunt perruptum. Duces autem hostium vado superato & obsesso, prohibuêre transitione regios, quam liberam dari rogauit Constantinus, & potestatem æquis in locis concurrendi. Hanc illi, medio amne dirimēte inter se collocuti, fraude Moscouitica dabāt, à ripa non recedentes, vadari autem alibi haud poterat. Viso itaq́; regij hosttes citra flumen illici non posse, relictis aliquot leuioris armaturæ turmis, confestim alio in loco pontē è scaphis, tabulis interiectis, super Borysthenem construunt, & primò tormenta cum peditibus traducunt, postea equites hastatos, qui ponte prærupto, eò vti instructi erant ordine, in flumen armati sese conijciunt, & vno tantum vorticibus hausto seu amisso, incolumes nando euadunt, ipsis etiam hostibus spectantibus aut mirantibus. Tum capto properè campo vtrique Duces acies & signa locant, sole iam exorto & in altū assurgente. Lithuanis dextrum cornu petentibus præerat Constantinus ipse, cum Georgio Radiuillo, Polonis Ioannes Suierſczouius secundarum

darum ambiguarumq́; rerum ſciens, Aulico verò comitatui Albertus Sampolinius. Hic vt inſidias montibus coërceret, ille vt ambiret armis proruentem aciem, ipſe vt munia ducis obiret & cunctos forti congreſſu præiret. Moſcouitæ itidem inſtructi, primam aciem latiſsimè diſpoſuêre, fortiſſimum & lectiſſimum quemq́ue in ea locantes, vt omnes regiorum ordines armis ambirent, & includerēt circum: hòs ſequebantur tres legiones à tergo, quibus aliquot phalāges, munitioreſq́; turmæ à lateribus additæ erant. Sic diſpoſiti dum ſingulariter velitando & ſingillatim decertant, pugnæ generalis prꝫludia faceſſentes, grandis Moſcouitarum intra montes latitantiū caterua, ſubitò à tergo regijs a pparuit & inſtructa acie è monte deſcendit, vt improuiſos pugnaq́; implicitos adorirentur. Sed venientes Sampolinius conſpicatus, magno impetu, & nec minore animo adortus, initium, ſed & felix pugnæ ipſius dedit; exin vtrinq́; reuocatis è duello præliatorib9, ingentib9 animis & virib9 phalāges cōcurrūt inter ſe turbāturq́;, denſis ha-

ſis haſtatorum cateruis, nudæ Moſcouitarũ cohortes, & ſtrepitus, gemitus, clamor, clangorq́; tubarũ, cælo toto perſonabant, namq́ue ſoli tibicines hoſtibus quingenti erant, quid fiſtulæ, tutinabula, ſclopeta & tormenta? quæ omnia in regio quoq́; exercitu reperiebantur. Et pugnatum eſt aliquamdiu æquo marte nec incruento, cum neutri cederent, illi multitudine, iſti robore & fortitudine ſuperiores; ſed cum delectis ſcindit Conſtantinus agmen, equiſq́ue maximè acinacibus vulnera ingerit, diſijciendo obuios & proterendo iacentes. Tum demum fracti viribus & animo, terga præbuêre Moſchi, quos equites conſectati intercipiũt, cædũtq́ue. Ioannes Czeladinus dũ ſuſtentat aciem, ſuffoſſo equo delapſus circumuenitur, & capitur cum octo illuſtrioribus Palatinis, & triginta ſeptem alijs Senatoribus, ſtrenuè dimicantibus. Reliqui copiarum duces, abiectis armis ſalutem fuga quæſierunt. Direptis ergo impedimentis, cum hoſtes nullũ fugiendi finem facerent, quos ad octo fermè milliaria regij conſectabantur,

duces

duces receptui cani iubent, nam pleriq; nocte & complures postridie vsque cum captiuis rediêre, consectantes donec ira & dies permansit. Etenim duces aduersariorum, offirmatis ad fluuium Kropiunam animis, prehensare fugientes, hortari, rogare, vt locum & salutem tueri, impetumq; insequentium reprimere, si viri esse velint, conentur. Et tantam alacritatem suis iniecerant, vt protinus arma verterent in eos, tanto ardore, vt tum primùm prælium inisse viderentur, accedentibus & accedentib9 ex parte vtraq; suis; sed consertis acriter manibus ductores regiorum plus in hortando & bellando valuêre, quam hostium: quippe qui nunc ipsi ante ora suorum ferri, nunc hostē gladio petere, cædere, ferire, ac fortia facta extollere non desinebant, & effecerant, vt quisq; aduersariorum fortissimus, dum pro salute, patria, & victoria decertaret, interficeretur in acie, regijs partam iam victoriam eripi sibi indignantibus. Denique metu vincente, in fugam difficilem effugio versi, quia circumiecta fluuij stagna & paludes, sepse-

vndique abitus; cedunt nihilominus iniquum in locum obdensati, angustiasq; cæni perrũpere conantur, & dum enituntur, æquis corruentibus suffocantur, & necantur adeò, vt tota fluentis aquæ gurges, cadentium oppleretur corporibus & permisceretur sanguine. Clara ea die laus parta & antiquis par victorijs, quippe cum signa hostium omnia, & nobilium millia duo, qui amnem transgredi nequibant, caperentur, plebe excepta & illis supra recensitis optimatibus, adhæc equorum millia viginti. Cæsorũ verò in acie, quadraginta millia numerata, totidẽ aut amplius dissipatis. De Sigismundi quoque exercitu, ad quingenti viri fortes desiderati, inter quos & Ioannes Zborouius atque Adauctus Slupecius ductores, honesto loco nati. Sed cõplures vulnerati. Cæsis igitur ac fugatis hostib9, qui pecudum in modum flagris regios abigere in Moscouiam destinarant, hymnisq; & sacro in Indiuiduæ Triadis honorem decantato, Constantinus militiæ Præfectus, captiuos omnes liberaliter ad prandium inuitat, & post multas mutuasq;

mutuasque suorum gratulationes, de clementia & lenitate Sigismundi incoram profatus, bono animo esse iubet, & audacter accedere monet, mite & vetustum ingenium reperturos, ad quem eos post mensas, Borissouiam relegat; Qui comiter excipit & pro ingenio benignè habet, quia nouerat Reges, vt fortitudine magnos, ita humanitate & mansuetudine claros vbiq; fieri, etiam & apud posteros olim: nemineq́; magnū & laudatum Principem sine istis esse. Quapropter, sacris Deo O.M. ritè factis, Vilnam ipse cū captiuis mouit, Constantino autem illa quatuor equitū millia, subsidio misit, vt recentibus copijs auctus, rectà Smolenscū iret oppugnatū: sed victorię compotes illi, dum spolia legunt, & vulneratos curant, aut recensitis captiuis prędā partiuntur, tardè ad obsibendā arcem & occasione iam elapsa conueniūt, cōmeatuq́; consumpto cum re infecta in hyberna redeunt, frigoris atrocitate præssi: ac ni cupido prędæ morā post acies militi iniecisset, cæpta patrataq́; expugnatio candē intra æstatē foret. Basilius autem, qui

tunc Smolenſci agebat, clade ſuorum cognita territus, & pænè deſperatus, grauiter animo dolebat, ſe non adeſſe præſentē & ſuppetias ferre in eo prælio Fraudes igitur aut vim metuens, & ſimul vrbi Dominæ timens Moſcouiæ, vbi theſauri & regia gaza erat, arcē valido præſidio cōmunit, & propugnatoribus promiſſis oneratis aut confirmatis, illuc concitus pergit, ne fratres quos carcere ſeruabat, clade illius cognita, imperiū occuparent. Quare, timens ne optimatibus aut populo miſceātur, captenturue aut captent, ſuſpectos nimię ſpei interfecit. Mindykierei verò Princeps Tauricanus, ſtipēdio in cōmilitum à Sigiſmundo accerſitus, adeò callidè egit, vt ne tunc quidē prælio intereſſet, licet tot literis vt tēpeſtiuè maturaret inuitaretur, ſed in confinio Moſcouiæ conſiſtens prælij euentū obſeruaret, vter autē viciſſet, huic ſubblanditurus operam ſuam probaret. Cumq; accepiſſet Moſcū prælio & grandi victum eſſe, interiora imperij illius ingreſſus, Starodubenſiū & Wielkolucenſiū agros, vaſtabundus percurrit, ſinguliſq; pęnè

diebus


diebus cum Ducibus Basilij concurrit, prædas pecorũ & aliarum rerum agere haud desinens. Tandẽ cum satis euastata aut peragrata esset illa regio, in qua nihil crudele, fædũ, abominandũ, in viros, mulieres, impuberes, omissum aut prętermissum rabiei, exercitũ abduxit cũ præda onustâ retrogressus. Et Sigismundus domũ reuersus, miro vbiq; ciuiũ est desiderio exceptus, nullũq; fuit alicuius nominis oppidũ, ad quod non accesserit omni honoris genere cumulatus: Cũ autẽ Vilnã ipsam ouans introiret, inter cæteros gratulãtiũ oratores, venêre quoq; & Marianorũ ex Prussia ac Liuonia gratatum, sed verbis certè tantũ, non animo: nã profęctò malè habebant, hæc suis confæderatis euenisse. Quare adiectum quoq; erat, cũ responderetur illis, *gratã gratulationem esse si ex candida & syncera mente erui-tur, sin minus minimè; & callidos peruersosq; impostores, aut ambitiosos fæderũ violatores, à Deo puniri semper, nec in externis successibus felices esse. Aliter cãdidis ingenuisq; mentibus euenire, qui Deũ, qui fidẽ reuerentur, hi crescunt, florẽt, & perseuerant, cælesti fauore prosequente aut*

attollente

attollente. Cogitarent igitur Sodales & incōmune consulerent, sed & re maturè deliberata id facerēt, quod & Deo acceptißimum, & religioni vtilissimum putarēt fore, cōditionib⁹ autē non expletis, scirent Sigismundum ius suū, armis vindicaturū. Et legatis omniū dimissis; suos quoq; mittēdos Sigismundus æquū esse censuit, ac in primis, ad Pontificē maximum, cui per Nicolaū Volscium decem è captiuorū ordine Senatores Moscouiticos misit; Sed hos Imperator legato ereptos, classe ex Lubeca ad penates remisit, & quaquâ modo potuit, Sigismundo obesse aut aut cōtrarius esse studuit. Sed nihilominus tamen, Romæ de victoria parta, supplicationes decretæ, & Doctorū virorū orationes pro Rege ac Polonis habitæ, licet & has quibusdā Germaniæ Principibus, præpedire aut impedire conantibus. Constantinus quoq; itidē per triumphū Vilnam ingressus, signa & insignia bellica, captiuosq; reliquos Sigismundo obtulit, quorū illa ad D. Casimiri monumentū appensa, isti autem per arces dispositi, & Mosco non eliberante carcere vitam finierunt.

DE REBVS SIGISMVNDI PRIMI, REGIS POLONIARVM INVIctissimi, virtute & auspicio gestis.

LIBER SECVNDVS.



T Rex persoluto equitibus stipendio, iussisq; eis ad cōstitutam diē sub signis conuenire, Cracouiā cum vxore Barbara victor in hyberna rediit; vbi dum conuentum edicit, Christophorus Szydlouecius Castellanus Sendomiriensis, qui tūc Viennæ legatū agebat, de amicitia iteranda aut renouanda ab Imperatore agitari nunciat. Is enim quò Carolum & Ferdinandum nepotes, Mariamq; fratris Philippi Burgūdiæ Principis filiam, in altissimo dignitatis gradu constitueret, & opes aut potentiam suam, illorum affinitate firmaret, ad Vladislai

amicitiam animo aſpirabat, cui tunc Anna filia erat, & Ludouicus certus ac iam coronatus heres ſuccedebat, ſed qui Regni Polonici peruicacem hoſtem, & Sigiſmundo fratri infeſtum, inter neceſſarios habere (Sigiſmundo etiam ipſo ſic volente) haud iuſtum exiſtimabat, & oblatã conditionem vltrò repudiabat. Quamobrem Imperator, aſpirante iam Regijs rebus fortuna, cum de ſe illi conciliando conſilium cæpiſſet, per Cuſpinianum Viennæ Præfectũ, cum Sydlouecio Sigiſmundi oratore agitari inſtituit, qui Domino retulit, & excerpta illico parti cõmunicauit, & ipſe bonus, vnum idemq; appetens. Nec multi dies interceſſêre quum oratores Sigiſmundi & Maximiliani, Budæ apud Vladiſlaum conuenêre, & volutatis inter ſe de Principũ reconciliatione ſententijs ſanciuêre, vt Sigiſmundus cum fratre Vladiſlao Maximilianũ Præsburgæ dicta die conueniant, & offenſionibus obliteratis ſalutent, de omnibus quæ ad ſtatũ rerum pertinebant coram amicè diſceptaturi. Placuit Sigiſmundo conditio, & maluit excitatas tem-

pestates

peſtates, diuina quadam moderatione ſedare, quam oppreſſa Republica, cum diſcrimine ferro decertare, moxq́; curam Regni Ioanni Konario Cracouieñ Antiſtiti cõmiſit, fidei eius & vxore Barbara cõmendata: militię Nicolaũ Camenecium, Palatinũ & Capitaneum Cracouieñ. præfecit, ipſe autem modico, in pacis amicitiæq́; ſpeciem comitatu (vix namq́; aliquid ſupra duo millia exceſſerat) ſed è præſtantioribus familijs, ſuccinctus, ad XII. Kal. April. Cracouia digreſſus, Senatu conſentiente aut concedente, ſed compluribus diſſuadentibus, Præsburgam venit, anno ab ortu Chriſti Dei noſtri M. D. X. V. à Georgio Epiſcopo Quinque eccleſienſi & Marchione Brãdeburgenſi nepote, honorificentiſſimè Vladiſlai nomine ſalutatus, qui ipſe appropinquanti, cum Ludouico Filio, ad duo paſſum millia obuius proceſſit, & magnitudine pietatis illacrymatus, complexũ fratrem amiciſſimè excepit, Quinta autem poſt aditionem Sigiſmundi die, Matthæus Cardinalis Gorcinenſis cum conciliarijs quibusdam, legatus ad Reges, ab Imperatore

tore venit, & paulò Thomas Strigonienſis Cardinalis ſubſecutus, cum Conſtantinopolitano Patriarcha aduenit. Hos Ludouic9, magna Hungarorum atque Polonorum frequentia ſtipatus, quo par erat honore proſecutos, aut Regum nomine exceptos in vrbem deduxit; cum quibus, dum ſocietatis & affinitatis futuræ conditiones moderātur, Bartolomęus Dux & Dynaſta Monſterbergæ, vt communibus rebus tractandis intereſſet, à Cæſare interea Pręsburgam miſſus, in tranſitu Danubij vorticibus rapidis, in profundum abſorptus, nuſquam poſtea apparuit, aut inueniri potuit. Reges verò conditionibus cum legato Cæſareo ſcriptis, admodū cupiebant illū ipſum quam primū videre, velleq́; per ſeipſos agi, quæ de affinitate & cōmuni in Turcam expeditione, agēda eſſent, ſic enim ea cautius meliuſq́; confici poſſe. Quorū conſilio Cardinalis approbato aut collaudato, idem ſibi quoq́; placere reſpondit, & eo ipſo die, ne quid fruſtra tēporis laberetur Viennam profectus, per nōnullos viros claros, quorū conſilio Imperator vte-
batur,

batur, illi ipsi renunciauit conuentũ interim Auspurgę celebrauit. Qui vbi Regũ voluntatem agnouit & suorũ sentias, continuò Cardinalem redire Præsburgam iussit, vt aduentu suo celeri nunciato, quæ de pace & affinitate acta erant eruntue, curaret publicis monumentis mandare. Dixerat Cæsar, & Cardinalis reuersus, iterum tractare aggreditur; & facili partiũ assensu erectior, pacem æquis conditionibus conficit: paci additur affinitatis vinculum. Anna Vladislai filia Ferdinando Imperatoris nepoti, vel ipsi Imperatori despondetur. Màría autem Philippi Ludouico. Et felix facto Cardinalis, ad Imperatorẽ nunciaturus, simul & gratificaturus pergit, ac ea ritè obsignata tradit, hortaturq́; lætantẽ (regibus ipsis id postulantibus) vt abire volẽtes ipsus inuisere velit; sed publicis ille curis distentus aut retentus paulò remoratur. Idcirco Reges diutino desiderio accẽsi legatos, (inqueis à Sigismũdo Petrus Kmita erat) ad Cæsarem mittunt & orant vt præcipitibus omissis curis, non grauetur secum de ijs, quæ tuta & salutaria ad pacem,

futuramq́; affinitatem pertinerent rursus per se agere, & tali societati firmandæ, mutuò & beneuolè consulere, cum etiam ipsi eo insalutato haud quaquã inde abire vellent; diutius verò rebus domesticis euocantibus; expectare nec posse, nec licere. Hæc vt primũ Imperator agnouit, mox conuentu dimisso Viennã peruenit, & qui suum aduentũ nuntiarent præmissis, solenniterque salutatis, substitit paululùm resalutatus è contra. Exin coitioni dies dicta, & locus captus, planicies apertissima inter Burgum & Hamburgum opida, arborq́; sub qua esset conueniendũ, altissima. Huc primum Reges grandi comitatu peruenerũt, dein Augustus Laxendorfo digressus, cum magno Procerûm nobiliũq; virorum numero; qui vt primùm Sigismundũ vno obtutu totum perlustrauit, alacri voce & affectu illicò prorupit. HAEC, DIES, QVAM, FECIT, DOMINVS, EXVLTEMVS, ET LAETEMVR, IN EA. Adhæc Sigismundus: *Faciat Deus, Clementissime Cæsar, faustum & salutarem hunc congressũ nostrum nobis, totiq; Reipub: Christianæ*, & prior

equo

equo desiliens exosculatus est Maximilianum: inq́; omni colloquio, lætum ac iucundũ sermonẽ iaciens, nõ placere sibi de ijs quæ ceciderant aut acciderant, mentionẽ aliquam facere dixit sed agere de cõmuni subditorũ tranquillitate & religionis sanctissimæ propagatione. Postq́; mutuos complexus & congratulationes, Maximilianus per Cardinalem Gorciniensem, vti secum Viennam proficiscantur, Reges rogauit: sed metuentibus aut dissuadentibus plurimis, prçcipuè autem Hungaris, ne aliquæ insidiæ sibi pararentur in vrbe, Sigismundus, magnis apud cunctos animorũ motibus, dixit fidenter se iturũ; & iuit; quoq́; magis omnem Imperatoris de se suspitionem ac metum adimeret, fratri Vladislao idem faciendum persuasit: quibus postea Maximilianus renunciatis excitatus, maiori honore aut amore Sigismundũ prosecurus est, quod melior ingenij morisq́ue sui æstimator esset, & tantum fidei ac amicitiæ suæ tribuisset, vt se suspitione, omnes metu, protinùs vno dicto exolueret. Postridie eius diei ingredientibus vrbẽ Regib9, Cuspinianus

ſpinianus Præfectus, comites aut aulicos Regū, quibus cum abundantiſſimo obſonio, hoſpicia ſunt præbita, numerare iuſsit, ſed pluuia præpediente haud ſatis rei factum: tamen ſupra quina hominum millia erant iam conſcripta. Qua ipſa in re, Mathiæ Miechouitæ profeſſoris in vniuerſitate Cracouienſi celeberrimi, nobile vaticiniū non eſt omittendum, qui publicè prædixit Sigiſmundo properè Cracouiam egredienti, ipſo tali die & lōge poſt deſtinatum, Auguſtum ſalutaturum, Præsburgam vbi reges agebant & paciſcebantur conflagraturam, mediaque ſerenitate Viennam intrantibus, nimbum ſubitò orituru̅. Poſt hæc Reges cum magno & ſplendido comitatu in arcem conuenêre inuitati, & feſto apparatu ab Imperatore excepti, ad quos ipſe ſuccinctus nobilitate & Senatu, eleganti oratione, ſeu vetuſta Latinitate vſus excuſauit primò, ne, moleſtè habeant quod domeſticis negocijs diſtentus venire, & ſe coram ſiſtere aut tam cito poterat, poſtea de nobilitate generis maritandorum præfatus tēperanter adiecit, quæ ſibi videbantur

futuræ

futuræ amicitiæ necessaria; demũ hortatus Reges, vt viribus secum mutuò iunctis, imminenti Barbarorum periculo, in tempore occurrant, ardoremq́; in propaganda religione aut tuenda profiteãtur. Tum simul & ipse questus est quod per bella interna, & cum Christianis Principibus, laurea sibi eriperetur, quam de veris profanisq́; hostibus referre optaret. Et sic eâ totâ dies in consilijs & tractatione rerum communium consumpta, quâ diu deliberato, conclusum, pacem & pacta per Cardinalem confecta, approbare & explere protinùs. Moscum Sigismundo reconciliare, Magistrumq́; Borussiæ Polonis tributarium Sacramento adigere solito, deniq́ue, bellum cõmunibus votis & viribus in Turcam suscipere, atq́; in Thraciam ex tẽplò transferre, Die deinde qui Magdalenæ sacer erat. Cæsar, Regibus, Principibus, varijsq́; Christianorum oratoribus comitantibus in Stephani augustissima æde, sacrisDeo cælitibusq́; ritè peractis, medius Imperiali cultu ornatus præsedit, & cuncta in maius extollens per Cardinalem Strigonen-

ſem priſci moris imitatione Annam Vladiſlai, vel vni ex nepotibus, vel ſibi ipſi in matrimonium (omnes enim præter ipſum impuberes erant) deſponſauit, & Mariam neptem Ludouico locauit, ſimul & Reginam appellans capiti diadema impoſuit. Ex templo verò egreſſus, ciuium pleroſq; in honorē pompæ nuptialis & aduentus Regum, equeſtri dignitate decorauit, nonnullis etiam id poſtulantibus, ab illis eam dignitatem dari, æquo animo tulit, & eorum rogatu ampla munera contulit, delictorum gratia aut venia quibuſdā facta. Inuitatos dein ad prandiū grandi luxu & regali apparatu excepit, atq; adeò omnibus qui affuêre, abundantiſſimum epulū præbuit; tum ludos equeſtres per aliquot dies celebres edidit, quibus multi adoleſcentes ac viri Principes certauêre, auro, gemmis, ſerico, nitentes; & gaudij, lætitiæ, à viris, mulieribus, omni denique ætate, in templis, prætorijs, porticibus, priuatorumque ciuium domibus ſigna promiſcuè præbita: Reges interim ipſi munera inuicem ampliſſima ſibi miſêre. Inter quæ Sigi-

ſmundus

ſmundus abacum gemmis & auro cultiſſimum vaſiſq; omnis generis latè refulgentem, tum pelles ſabellinas è præda Moſcouitica præcioſiſſimas Imperatori contulit; à quo inter cætera inuicem ſibi oblata, duos celeres equos, vnumq; armis auro candentibus indutum, recepit, cum voce præuia *Paratum ſe in ijs diſcedere, quo neceßitas Cæſaris & occaſio iuſta iußerint.* Poſtque dies aliquot quibus amore, honore, & obſeruantia omni certatum inter eos, Regibus abire volentibus, incredibili magnificentia ad Nouã ciuitatem (nec procul à Vienna) triduo venationem epulaſq; exibuit, ſed & comitibus hoſpicia, cunctiſq; obſonia vbertim attribuit; atque illic ſub diſceſſum in templo Mariæ congreſſi, priuſquam currus conſcenderent, mutuo complexu & lacrimis (tales enim Principum in raro congreſſu affectus fieri conſueuerunt) diuelluntur, & in ſua redeunt. Et Sigiſmundus ad XV. Kal. Septemb. Cracouiam reuerſus, atq; miro ciuium deſiderio exceptus, legatos Venetias miſit, Mathiam Dreuicium Culmenſiũ Epiſcopũ,

51

Raphaelem Lesczynium Præfectum Sluchouiē-sem & Ioannem Dantiscum Regni Secretariū, vt simul iuncti viribus, Christi Seruatoris nomē & numen, irent in Turcas secum propagatum, vereq́; pietatis hoc ipso præbeant sese assertores. Cæterùm quia illi finem & euentum belli Gallici, quod gerebat Maximilianus obseruabant, oratores cum re infecta ad Maximilianū primò, in Poloniam deinde, ad Regē sunt reuersi, Ioanne Dantisco Viennæ relicto: qui anno toto cum ibi ageret idem retulit quod & ipsi. Cum autem Sigismundus Præspurgæ & apud Cæsarē adhuc maneret, Scythæ incursione subitò in Podoliam facta, vicos villasq́; liberiùs discursantes, latè depopulabantur, & longius, vagati, terrore atque formidine cunctos impleuêrant populos. Quod vbi primū Regni curatores cognouêre, extemplò Ioannem Tuorouium, acrem & impigrum virum, obuium misêre, cum DCC. equitibus hastatis, cum quibus ille celeriter profectus, cū cursu defatigatus cōtinuo, Tręboulę paululùm quieti daret, Scytharum millia duo inopinatò superue-

ſuperueniens, ſemiſomnes planè inuenêre omnes, paucis admodum qui pro ſtatione noctu excubabant, exceptis. Igitur qui per oppidũ diſperſi ſomnos ſub tectis ducebant, clamoribus pugnantium, vel iam fugientium excitati, etſi rebus ſuis diffidere cæperant, nihil tamen fortes animos remiſerunt; & properè accurrunt, ad tribunum quiſque ac Ducem ſuum, pedes concurrunt, hi verò vt quenq; ſors obtulerat, hoſtibus obuios mittunt & ſummittunt, quorũ Scytha vbi ſuſtinere impreſsionẽ nequit, pedetentim oppido cedit, & Tuorouius vrget cũ lectiſſima equitum manu. Sed vt videt à dextra ſiniſtraque, in campis acrius ſuos premi, & hoſtem conari, etiam à tergo inuadere, atq; ab oppido & ſæpibus ſeiungere, ſuos referre pedem paulatim iubet, ac tota die ad pontẽ dimicans, tranſitum fluminis prohibet, & alibi conantes arcet. At Barbarus paucitate regiorum conſpecta, cũ nulla ſubſidia adeſſe videt, eò acrius cum ſuis vrget, & citato equite in regios pedes pugnantes illatus, alios defatigatos capit, alios reſiſtentes
 vulnerat.

vulnerat, atq; paulo post in fugam actos oppidũ versus præcipites agit. Tuorouius autem qui in medijs hostium pugnabat, cum videt omnia aduersa & rem in vltimum discrimen adductam, aliquantulũ se è pugna submouens, confestimq; fugientibus præhensatis atque instructis, vt erat magnis ausis promptus tanto se impetu cũ paucis è circo proripuit, & proturbauit, vt barbari vix primo congressu sustentato in fugam se quã laxissimis habenis dederint: & ille celeriter conscensis equis Miedzibozium vsq; consectatur sed iam non assequitur. Quorũ Princeps postea fidẽ ac operam suam Sigismundo probare volens, cum grandi exercitu in Moscouiam profectus, agros, vicos, fruges, diripit, incendit, corrũpit, tandẽq; ab vrbe quatuordecim milliaria reuersus, suos ingenti præda, hostem metu ac pauore plurimo afficit. Idem & ijsdem tẽporibus regij quoque fecêre, ad reliqua belli perpetranda, in confinio Lithuaniæ per loca opportuna dispositi, cum Suiersczouio Ioanne, campos Moscouię persultante, qui inter cætera magna & clara facinora

cinora sua, ne segnem militẽ attineret, Wielkieluki & Toropcũ munitissima oppida, validoq́; præsidio firmata, debellauit & diripuit. Et Sigismundo à Cæsare nondũ reuerso, Barbara vxor filiam illi Annam peperit, quam ille post partum enixum ægram admodũ, & iam anima linquentem inuenit; inq́; suo ipsius gremio cum publico mærore & vulgi molestia Cracouiæ diem obijt: quam mirari aliquãdo subijt, non & ipsam relatam in Diuorum numerum, tã claris testatisq́ue meritis, quæ non mensæ aut tori tantùm consors fuit, sed curarum etiam Imperij particeps, & magni ad omnia animi mulier. Iam si pietatem spectas; populi verè mater, quæ tenuiorum filios dotibus datis elocabat, afflictos à fortuna releuabat, bonos prouehebat; ipsa in sacrorũ cultu mirifica & assidua, atq́; supra Pannoniæ hominum ingenia, grauis & circũspecta. Cuius exequijs Sigismundus magnificentissimo apparatu & regali pompa persolutis, atratus Helizabethem sororem, Friderico Lignicensium Duci Præspurgæ desponsatam, in matrimoniũ

locauit,

locauit, quam Ioannes Turza, Vratiſlauienſium Antiſtes ſplendidiſſimè dotatam & inſtructam, grandi comiatatu marito deduxit. Cum autem animaduerteret & perpenderet Sigiſmundus, paſſim Roxolanorum agros à Scythis vaſtari, homines capi, matronas pollui, virgines imminui, & nunc etiam minari: vti eos ab incepto & conſueto deterreret, miſſis in Ruſſiam ſexcentis equitibus, nobilitatem illius regionis vniuerſam in armis eſſe mandauit, & vt imminente periculo ad conſtitutã diem ſub ſignis parati conuenirent. Peſtilentia autem vrbem grauiter vexante, relictis qui & arci præeſſent, ipſe cum filiabus Sendomiriam ſeſe recepit, ad quem tunc Ioannes Laſcius Gneſnæ Archiepiſcopus è concilio Laterano rediẽs venit, qui illic pro bello in Turcas aſſumendo, & pace inter Principes Chriſtianos conficiunda, vnus omnium maximè laborauit, & iſto feruore (ſic appellare debeo) Legati Nati agnomen in concilio meruit, quod ab eo poſteris ſucceſſoribuſq; ad hunc diẽ glorioſum & ſolenne manſit. Anno inſequenti Sigiſmũdus

in Lithua-

in Lithuàniam profectus, cum nobilitatem à persequendo Moscouitico bello auersam inuenisset, qui nec militi è Polonia educto persoluere, nec amplius concedere (sibi fidentes) stipẽdia volebant, ipse etiam illorum voluntati haud quaquam refragari statuit, & persoluto equiti stipendio copias dimisit, Maximiliani interuentu pacem conuenire arbitratus. Qui pro ea qua Viennæ deuincti erant amicitia, Baltazarũ Ederum vt cum eo de pace ageret, legatum ad Basilium misit, quem Pantaleon antea missus, ad bellum excitabat & in Sigismundum attollebat, atq; hîc Baltazarum cum insignibus legati venientem, multis probris accusatum, vt seipsum insinuaret, rerum suarum à Sigismundo exploratorẽ, non oratorẽ Cæsaris, venire asseruit. Quare cõprehensũ in vincla dat Basilius, pænas sumpturus, sed quas tamen remoratur, miseratione aut formidine similis euentus, atq; ad modestiam flexus hominem carcere eductum, audit, rogat, & multa de insolentiâ Marianorum & inconstantia Imperatoris liberè locutus, conque-

ritur, inritatusq́; cum litteris dimittit. Hic rediens ad Sigismundum deflexit & male acta de se retulit, sed quis tyranni animus, qualesue apparatus illius, minime edocere aut consequi potuit, arctè custoditus, Haud multis post temporibus & Pantaleon cum mandatis dimissus, è Liuonia ad Sigismundum venit, sed itidem nihil certi aut explorati habens: modo Tyrannum, legatos ad Regem mittere nolle nunciauit, arces autē amissas recuperare velle. Idcirco Sigismundus spe pacis præcisa & curis Augusti irritatis, cogitare de bello attentiùs cœpit, & mox milites scribere pecuniam conquirere, atq; omnia parare, quæ expeditioni vsui viderētur. inprimis autē Scythā Perecopensem solito stipendio aut mercede cōducere: sed iste Barbara fraude, vtriq́; stipendiarius subsidia vtriq́; promittit & misso Basilio sicarios in Russiam mittit, auidasq́; legiones quò latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit: triginta miliarium spatium hi ferro flammisq́; peruastant, & non sexus, non ætas miserationem attulit, profana simul & sacra so-
lo æ-

ſo æquantur. Tandem ad Buskum caſtra metaturi ſinguli Duces cum ſuis copijs conueniunt (& horum quiſq; decem millia trahebat) & obſidere illud, ſuccendere, excindere, omni niſu conantur. Verùm cum caſtellanis promunitionibus fortiter & ſtrenuè propugnantibus oppidum inexpugnabile videretur, ſuburbio combuſto, ad montes Hungarorum (qui Pannones Polonoſq; diſterminant) cõpoſito agmine procedunt, ſaltus obſcuros permeant, & liberius vagati ſæuiſſima ſuppliciorũ aut flagitiorum exempla, in viros, pueros, ac mulieres edũt, tandem regreſſuri in Tauricam plus quinquaginta mortalium millia in ſeruitutem trahunt. Sigiſmundus licet parum barbaro fidebat, tamen non adeò truci animo nociturum ſperabat, ſed leui incurſione aliqua, cui equitatus inibi cum Tuorouio agẽs ſatisfacere poſſet, nobilium manu auctus & adiutus, ideoque Satrapas regni & præfectos vrbiũ per litteras præmonuit, vt cauti & parati in tempore ſuppetiarẽtur illi, Cæterùm iſti in opibus magnis, & proſperitate ſeu liber-

tate deprauati, iussa Principis & minas barbari facile contẽnunt, priuatim saltem oblectamenta quęrunt, conuiuia, ludos, mulierculas, publicum autem omne decus aspernantur & funditus per accitam lasciuiam euertunt, patrijs bellandi moribus abolitis. Nec erat interea qui publicam pacem, patriæ amore à metu armorum tueretur, aut communẽ calamitatẽ miseratus, fines imperij ab incursu paganorũ defenderet, præter Martinum Kamenecium Podoliæ Palatinum & Stanislaum Lanckoronsciũ Camenecię toparcham, qui Tuorouio iuncti, octingentos ad Tręboulam barbaros nacti, ad vnum pænè cecidêre, prædamq; cũ captiuis totam recepêre. Idem & Podhaicijs quingentos, strenuè in vltimo discrimine propugnantes. Et interim Nicolaus Firlei, in re militari clarus vir, & castrensibus disciplinis ab ineunte ætate institutus cum paucis comitibus ad eos venit (hunc Sigismundus sub id tempus ducem exercitus Polonici & Magistrum designauerat) ac reliquam barbarorum multitudinem illorũ equitatu auctus persequi

ſequi inſtituit, ſed imparem ſe videns (duo enim in vniuerſum millia habuit,) non auſus vniuerſam prælij fortunam ſubire, & ducentis tantum qui à reliqua multitudine ſeceſſerant occiſis, ſeſe in caſtris continuit, ſaciùs ducens multitudini & fortunæ cedere, quam ſuos temerè periculo obijcere. Paſsim autem voces tunc ferebantur, ſtatum ſeu fortunam regni immutatam eſſe ob exceſſum Barbaræ Reginæ, magnæ pietatis magnarumq́; virtutum heroinæ. Sigiſmundus verò poſt tanta ſuis popularibus detrimēta illata, extemplò in Perecopum conqueſtū & rogatum miſit, *cur loca & regiones nihil à ſe hoſtile metuentes periurus inuaderet? ſuaq́; perfidia ac auaritia, ſanctiſsima pacis fœdera ſolueret?* ſed iſta fallaci voce & vultu. *non iuſsu ſuo, ſed leuitate & inſolētia iuuētutis, quā coercere haud poterat factū*, reſpondit. Itaq́; Poloni vt parum ex fide Scytham viuere viderunt, amplius Sacramento illius non admiſſo, maiorem equitatū in Podolia inſtituerunt, cuius mox turmæ aliquot cum Prædiſlao Lanckoronio ad Belgradum profectæ (quæ vrbs celebris in Scythia & confinio Tur-

carum floret, frequens habitatoribus & regionis caput) complures vicos, paruaq; castella aliquot expugnarunt. Tartarisque ac auxiliaribus Turcis, ad lacum Vidoue dictum grandi prælio superatis, cum prædà onustâ redierunt. Et Moscus hisce in Polonia perturbationibus auditis, numerosam suorum manum ad Vitebskũ prædatum misit, quo primo impetu direpto & succenso, dum per circumiectos vastabundi agros discurrunt, nihil sibi reliqui non ad prædam nõ ad crudelitatem faciunt, & sacra profanaq; cuncta in promiscuo sunt habita, nobilitate loci illius præsertim absente, qui à Ioanne Kosciegouicio Regionis Palatino oppressi, seu auitis bonis exuti dum ius petitum Vilnam proficiscuntur, & apud Regem, qui inter alias virtutes eximius iustitiæ cultor erat, cum Satrapa litigant, vt iniuria affecti, aliam domi miserrimi accipiũt, hoste fortunas diripiente. Iam & de arce ipsa Sigismundus desperauerat, quæ nec tam cito curari poterat, nec commeatum aut præsidium vllum interea habuerat. Sed hæc tamen fata suo seruata, &

ta, & Moſcus, ſuo malo præſſus exercitum reuocat, atq; Perecopenſibus opponit, quorũ Dux cum octingentis millibus vrbem vſq; ipſam Moſcouiã populabundus adequitabat. Pugna tandem cõmiſſa, turbatiq́; Moſchi millibus viginti amiſsis in fugam turpiſsimam conſternantur, barbari victores cum prẹda ingenti in ſua reuertuntur, & mox ſigna erepta ad Sigiſmundũ Vilnã remittunt maiora patraturos ſeſe adfirmans; quod eo conſilio fecêre, vt mente illius explorata ſeu placata in confinio Podoliæ hyemare ad Boryſthenem ſecuri poſſent, qui in æſtate bello cuncti occupati, quo ſe equoſue ſuſtentarent, haud præparauerant, nudumq́; iam ſolum bruma tunc appetente, nullam amplius ſtramentorum aut pabuli copiã in Perecopo ſubminiſtrabat; & vt tutius ac citius rogata obtinere poſſent Dux ipſe Mindikierei obſidem fidei filium dabat. Hoc protinus Rex cũ Staniſlao Lanckoronio & Ioanne Tuorouio, ductoribus excubiarum communicat, & vt cauti finibus intendãt & ſe certiorem de omnibus faciant imperat; ad-

haec

hæc Cracouiensem, Sendomiriẽsem, ac Lublinensem nobilitatẽ, arma parare & sub signis cõuenire iubet. Sed Proceres conuentu Mielcij indicto, mille equites conducendos & Roxolano militi addẽdos, nobilitatis loco decrêuere; quibus deinde Rex Volhyniæ Palatinatũ cum Constantino Duce de Ostrog, adiungi edicit. Hæc dum Sigismundus satagit, Perecopẽses barbara & Tartarica fraude exercitu quadrifariam diuiso VII. Idus Octob. Podoliam ingrediuntur, & per agros vrbium quæ Sigismundo parebant, vastabundi discursantes, vicos diripiunt, prædam rapiunt, oppida succendũt, viros, mulieres, senes, impuberes in captiuitatem trahunt, & quæ talia comitari bello amant, summa celeritate faciũt. Hoc cognito Lanckorõscius, qui cum præsidio partim Cameneciæ, finitimis partim in oppidis statiua habuerat, equitatum vndiq; suum cum festinatione euocat, & cum Senatoribus Regni per literas cõmunicat, idoneamq; occasionem nactus ad Miedzibozium ac Latouice ex improuisò adoritur palantes; iuuit adhæc nox syderibus

inlustris,

inlustris, barbariq́; locorum ignari atque iniquè congressi, cladem insignem accipiũt, sed in qua etiam Roman Dux Ostrogius cecidit, vir & corporis & animi viribus pariter insignis, artibusq́; bellicis à tenero vt aiunt vngue optime instructus: & Cōstantini nepos dum longius fugientem persequeretur hostem, sagitta ictus vulnus in ceruice accepit. Telorum armorumq́; omnis generis magna vis Cameneciã perlata, & captiuorum (quorũ ingens erat numerus) pręstantiores Vilnam ad Sigismundum missi. Paulus etiam Farurei, dum hostem sub villa Radzinica à populationibus arcere conatur, captis permultis quadringentos acie sternit. Qui verò prædabundi ad Zynkouum cōcesserant, à Iacobo Secigniouio superati, supra mille equites amiserãt. Per eosdem quoq́ue dies Albertus sodalium in Prussia Princeps, turbas pro more & ingenio daturus, cæpit copias cogere, loca munire, & bellum summa vi comparare. eiusq́; præfecti, populares regios diripere, & mercatum venientes, contra fædus & decus spoliare. Et demum

iunctis cum Liuonæ religionis Magiſtro viribus Samogitiam inuadere parabant. Cuius toparcham vt itidem bello inſtructum audierunt, reuerſi, per literas factum apud regem excuſarũt, commenti ad effugium, hæc à Polonis ſuis euenire totieſq; cauſam ſoluendi fœderis dari; apparebat mendaciũ & argui poterat, ſed magno Polonoq́; animo Sigiſmundus, maluit decipi fidem ſuam quam accuſari. Inter hæc Vladiſlaus Hungarorũ, tardiores ad inferendũ Turcis bellum Principes Chriſtianos videns, certis conditionibus cum illis depactus, Sigiſmundũ fratrẽ in eo fœdere comprehendere voluit, & vt ad ſe Budam conuentui celebrando veniret & interueniret, rogauit, ſed diſtentus ille curis domeſticis ipſe, Ioannem Laſcium Gneſnæ Archiepiſcopum & Chriſtophorũ Sydlouecium Palatinum Cracouienſem legatos miſit, quo tẽpore etiam Ioannis Tranſyluaniæ Principis & Barbarę iam defunctæ fratris oratores è Pannonia acceſſêre, ſuper optimatium inimicitias quos ipſe ad diſcordias inlicit & Vladiſlai odia conquerẽtes.

His

His Sigiſmundus. *res Tranſyluanas ac Joannis vt & olim Barbara viuente & florente, maxime cordi eſſe, nihilq́; ſibi viliorem illius amicitiã futuram ob vxoris* (cuius ipſe mirifice amans erat) *deceſſum, modo etiam Ioannes, non eo quã auditur animo, ſeſe aduerſus Vladiſlaum gerat*. (is enim ſuaſu gentis in bellum tractus, diſcors manebat & auctis priuatim odijs, arma in Vladiſlaum parabat regnumq́; affectabat) *cui & reconciliari ac obtemperare quam primũ ſtudeat*. quod quia ſuo interuẽtu confici poſſe exiſtimauit, confeſtim Ioannem Karnkouium, regni Secretarium, ad fratrem ablegauit, vt ira omni & odio depoſito Ioannem in priſtinam gratiã, pro ſuo more recipere velit & amore. Cæterùm priuſquàm iſte Budã perueniret Vladiſlaus magnitudine facinorum illuſtris ſupremũ diem obijt; Aeſtate verò quæ ſecuta eſt. Sigiſmundus pridie Kal. Aug. Vilna cum exercitu digreſſus, Polociã in Moſcos agmen deduxit, Ioanne Suierſcouio vt pontes & aggeres humido paludum, & fallacibus campis imponeret, præmiſſo cum aliquot

 peditum

peditum lectorum manipulis; cumq́; paululum ſubſiſteret illic, miſerrimâ ſubditorũ conquerẽtium nunciâ ex Pruſſia accepit, quod ſodales, veniâ quam impetrauerant, iterata rebellione corruptâ, mercatores è Polonia per viam bonis & deinde vita exuiſſent plurimos. Ipſeq́; Albertus poſt diſceſſum ſuum potentia fiſus; & temporum perturbatione confiſus, agreſtes conterminos tum & equeſtris loci viros fortunis omnibus paſſim ſpoliaret, cęderet, incarceraret. Et iam nihil quietum aut ſecurum, ſed vbiq́ue horror, turbę & ſtrepitus armorum. Rex ſolita clementia aut patientia vſus, Marianos & Albertũ per literas monet deſiſtere & reponere: Sed nõ audit. Iubet idem, hortaturq́; ad pacem & pacata conſilia nepotem; nec obtemperat, in arciũ firmitate ſpem etiam reponens. At Rex vt vidit homines palàm iniurios, & fæderum non fractores ſolum ſed illuſores etiam, vetuit edicto, ne ſui populares amplius, in oppidis illorum negotientur agantue, aut res aliquas in ſuas ditiones clàm aut palàm deportent, & qui ſecus faxit,

xit, capitale id ei fore. Tempore eodē Maximilianus Imperator, fæderatæ societatis pactū exequi volens, legatum ad Basilium vnà cum Bogussio Sigismundi oratore in Moscouiam misit, qui hortaretur vt datis acceptisq; honestis conditionibus, cōmunem Christianitatis pacem & societatem, contra Turcas firmaret, eademque quiete, æstuātem Moscouiam, armis Sigismundi liberaret. Introducti illi, expedire id & decere, pluribus argumentis asseruerūt aut disseruerunt; sed à truci tyranno spreti, cum re infecta discedere iussi. nam in sodalibus spem reponens ille quos in belli societatem inuitabat & inuitabatur, facile expugnaturam Lithuaniam rebatur, ideoq; pacis mentionem oblatam aspernatus reiecit. Quo accepto Sigismundus, Cōstantinum & Suiersczouium duces, cum exercitu in Moscouiam emisit, rebus regni euocantibus Vilnam ipse reuersus, ne sua abitio infestam & infaustam Prussiam insolentiorē reddat. Hi autem per hostilē, profecti, tota illa regione peragrata, Pskouum vsq; peruenêre, & pagis castellisque

lisq; frequentioribus debellatis. multa boum ac pecorum millia cum cætera præda in ſua abegêre. Quæ tempeſtas per agros cognita, agreſtes adeò conterruit, vt deſertis agellis in vrbem ſeſe trepidi receperint, & exercitus coacti, quamvis multò ſuperiores numero eſſent, pugnã detractarent tamen conſternati, ad paludes & limoſa loca ſuos cõtinentes: Quorum duabus diſsipatis ſtationibus Conſtantinus, dum Opoſcam arcẽ receptaculum perfugarum in munitiori & eminentiori loco ſitam, ſtrenuè magis quàm feliciter expugnare conatur, frauda Moſcouitica circumuentus, à foſſa aggeribuſque repellitur, & complures viros fortes amittit, in queìs Andreas Boratinius, equo ac pede iuxta bellator acerrimus, ſupernè lapide ictus manum cum brachio auulſam amiſit At Perecopenſes inſidioſi, ne tũc quidem bona fide cum Sigiſmundo egerunt, à quo in commilitium ſolito ſtipendio adſciti, nõ modo cum ſuis copijs non interuenerunt, ſed etiam ſub autumni exitum, Volhyniam, Belzenſemque Palatinatum impunè infeſtârunt: Horum

rum Achmet Soltanus anteſignanus erat, ducis Perecopenſis frater, quem grandi pecunia Moſcus à Sigiſmundo deſtraxerat. Et Conſtantinus bruma appetēte, vt nullos apparere obuios hoſtium exercitus vidit, eductis in hyberna copijs, Vilnam ad Sigiſmundū, & hic Cracouiam rediit, ad ſponſam nouam capiendam & fruendam. Hæc erat Bona Aragonia Ioannis Sfortiæ Mediolanenſium Principis filia, quam Hyppolitus Cardinalis Ferarienſis, ad XVII. Kal. Maias, grandi comitatu, cum regijs oratoribus adduxit, exceptam primò in Auſtria per Cazimirum Brandeburgi Marchionem, deinde in confinio Sylleſiæ honorificè ſalutatā per Ioannem Lubranſcium Poſnanienſem, Eraſmū Ciołek Plocenſem, Epiſcopos: Chriſtophorum Szydlouecium, Palatinū Cracouienſem, & Lucam de Gorka Caſtellanum Poſnanienſem. Rex dehinc vrbe egreſſus, multis bello ac pace claris viris diuerſiſque oratoribus comitantibus, honorificè excepit, cum & obuiam pedes extra tentorium iuiſſet illi in equo aduentanti, & cum deſcendiſſet, cu-

pidè

pidè amplexus, in tabernaculum primò, quod huic rei laxum & preciosi operis tendi iusserat deducit, postea magna ciuium lætitia ac gratulantium acclamationibus vrbem & arcẽ ingreditur. tum nuptiæ sequuntur, & nuptialis tota pompa, quam multo cohonestauit & celebriorem reddidit felix è Polocia nuncium. Hanc expugnare Moscouitæ nisi, dum circumgrediuntur & obsidone tenent, Ioannes Boratinius, vir militari disciplina, corporisq; ac animi, viribus æquè clarus, sed & rebus gestis maximè conspicuus, in aduersa Borysthenis ripa castra & hyberna habẽs, obsessis subuenire aut præpedire oppugnationem properat, sed impeditur à flumine ipse, quod vadari nullibi poterat, conatur tamẽ & locũ faciliorem quærit, & dum non inuenit, cælitus oblatum traducem accipit; Is erat vt in ore & oculis omnium versabatur CAZIMIRVS, Sigismundi frater, quem in Diuorum numerũ relatũ miraculis attestantibus Vilnæ ad monumentũ nunc quoq; miramur. Hic veste candida indutꝰ, candidoq; insidẽs equo, subito in littore apparet

apparet &, *me me præuium ſequimini ducem* ſe in flumen conijcit, quem mox omnes attoniti ſequuntur. quingenti illi erant, loricis pro more induti, & manibus haſtas gerentes, qui fluuio feliciter ſuperato, traducem ſuum diſparatum haud amplius viderunt, ſed aucti ab omine animis in hoſtem alacriter ierunt, diſſiparunt, ſuperarunt, Gaſtoldo cum mille & quingentis equitibus in illa rippa ſuppetiante. Adeoq́; hæc agentib⁹ fauor numinis adfuit & iuuit, vt mox fuga & diſſipatio hoſtium, ad eorum adſpectū eſſet, & duobus modo regiorū millibus, tam atrox atq́; cruentum conficeretur prælium, vt ſeptem in acie cæſorum numerarentur millia. Per idem fermè tempus Perecopenſes Bogdanū in Valachia laceſsiuêre, & traiecto Boryſthene ac Neſtro, cum quindecim ſuorū millibus agros illius depopulati, auêxere grandem omnis generis prædam. Hos ille cum aliqua ſuorum manu & tribus equitatus Polonici millibus, qui fines regni curabant, in Scythia vſq́; aſſequitur, parumq́ue aut nullo ordine inſtructos, inopinatò

quitur, ſublatis quam maximis clamoribus. Et ſonus, fulgor, clamor, tubarum, armorum, bellantium, quanto inopinâ tanto maiora effunduntur. moxque conſternati animo barbari, à præſenti & inſtanti metu fluctuare multi incipiunt, dilabi alij & transfugere veſperaſcēte die. Bogdanus autem eximijs cæſorum ſpolijs præter ſpem victor è pugna redit. Hanc illi cladem dum ſub autumni exitum vlciſci parāt, & agros Volhyniæ auidi infeſtant, aliam à ſatrapis Sigiſmundi periuri accipiunt. Conſtantinus etiam in reliquias transfugarū ſigno : prorū pendi ſuis dato, quos per ſaltus ad Neſtrum in tempore occultauerat, compluribus captis octingentos cecidit. Idem & Oſtaphianus fecit, impiger atq; inclytus Circaſſorum præfectus. (Iure hoc ſibi elogium vendicat: nam ingētes illi tum animi, tum corporis virtutes inerāt, maximè vorò firma laborum tolerantia, & incredibilis periculorum deſpicientia; tum audacia ſumma difficilium incæptorum.) Sub anni huius iam exitum, turbæ ſeu exitium in Pannonia exortum,

ſciſſo regno poſt Vladiſlai occaſum in factiones quas vt Senatus ratione nō marte iudice componeret, miſſi rogatu Ludouici, Andreas Tęczynius Palatinus Lublinenſis, & Ioannes Karnkouius Præpoſitus Scarbimirienſis: ſed in Senatū diſſentientibus inter ſe optimatibus non ſunt admiſſi. Ablegârat quoq; Sigiſmundus ad Pontificem maximum, Eraſmum Plocenſium Antiſtitem Raphaëlem Leſczynium Caſtellanum Lęcicienſem, & Nicolaum Boguſſium Ducatus Lituanię Marſalcum, vt cum cæteris Principum Chriſtianorum oratoribus, pro cōmuni in Turcam expeditione conficiunda agant, quos Pontifex dimiſſis ad vnumquenque ſingillatim oratoribus, per ſacra etiam ipſa, & gloriam Europæorum obſecrabat, vt pace (quum ſola hæc, imminentia Chriſtianis mala tollere aut ſubleuare poteſt) inter ſe perenni compoſita, impendenti barbarorum periculo occurrerent, quia finitimam iam Hungarorum arcem, Turcę ſub Ludouico, tnnc fortè cum Ioanne, Tranſyluaniæ Principe & proceribus regni diſſidente, ce-

perant, eratque ingens metus, ob summos illorum apparatus nunciatos, ne grandi exercitu collecto Hungariam dissentientem & Italiam nihil hostile metuentem, barbara fraude simul inuaderent. Idcirco gloriosissimæ expeditionis huius ducem & auctorem, Sigismundum habere & videre exoptans, Moscum reconciliari illi, quamprimum studuit, ac pro ea re Nicolaum Sõbergium cœtus D. Francisci Monachum ad Basilium misit; quem itidem Cæsar in societatem belli & vocauit & rogauit, vt vel solo rumore confectæ pacis, ac publici Europæorum fœderis, possit insolentissimum hostem, à perniciosis conatibus deterrere. Cæterùm legatis è Moscouia nondum reuersis, Maximilianus victorijs & vita Illustris obij, suoque præcipiti fato, fælix fęderum incæptum turbauit, & ipsos Logios disturbauit.



SIMO-

DE REBVS SIGISMVNDI PRIMI, REGIS POLONIARVM INVI-ctissimi, virtute & auspicio gestis.

LIBER TERTIVS.

INitio insequentis anni, qui erat, millesimus quingentesimus decim9 nonus, ab ortu Christi Dei nostri, BONA vxor Sigismundi cœpit vterum ferre, & circa dies iam partioni solennes, ad eum in Lituaniam adspirare: sed vetuit ille, iussitq; in Polonia subsistere & aduẽtum suum expectare. Iam verò dum properat hæredemque Regni (quod vnum in votis erat) parituram spe rat, repperit Isabellam auiæ nomine appellatã, quæ erat filia Ferdinandi Neapoleos. Ergo pariente ac partu visitato, & Cracouiæ relicto, dũ

pro more cōuentum ordinibus Regni Petricouiam edicit, & iniurias ſubditorū à Pruthenæ religionis Magiſtro illatas cognoſcit, Ludouici oratores ex Hungaria interuenere, conſilium à patruo & tutore petentes, quibus cum mandatis Turcici Imperatoris legatus, quem ille ad fœdus & ſocietatem miſerat, ſit abſoluendus aut dimittendus, quippe, cum Ligij religioſæ expeditionis, morte Maximiliani diſturbarentur, & quam ipſus ob ingentes ſumptus & hoſtium viciniam promouere & aggredi haud poterat, Tum, poſſitne per vicarium fœdere percuſſo Moldauis, quos interim Turcæ occupare parabant, ſuppetias ire. Sigiſmūdus re cum ſuis penſiculata, pacem tam potentis hoſtis non aſpernandam arbitratus, ſiue ratione ab illo dicta, ſiue & indole nondum matura illius ipſius motus. Moldauis verò quantum liceret & deceret ſuppetiādum ſuaſit. Et ſic hiſce legatis dimiſſis, acceſſêre alij, itidem à Ludouico miſſi, in quêis & Carolus Monſterbergenſium Marchio erat, poſtulantes in Hungariam mitti Laſcium Archiepi-

chiepiſcopum Gneſnenſem, & Tęcynium Palatinum diſtrictus Lublinẽſis, quo perſuaſu eorũ & autoritate patrui, Ludouicus poſſet, arces recipere à Bornomiſſa & Charlacio retentas, cõuentus autem publici autoritate ſibi deſtinatas & conceſſas; vti deinde liberum ſit ſenatu permittente in Bohemiam proficiſci: Nam ijſdem diebus conuentus Imperatoriæ electioni Francoforti indictus celebrabatur, vbi inter Carolũ Hiſpaniarum & Franciſcum Galliarum, Reges, potentes compeditores variè certabatur, & ius fauor, factio comparabantur. Sed peruicit Carolus, cuius feſtum diem, quo ille Imperij inſignia acciperet, Sigiſmundus à ſe condecorari æquum exiſtimans, qui ſuo nomine intereſſent, legatos illac miſit, de regno Bohemię ſollicitus, quod proceres haud gnaro Sigiſmundo quanquam proni in Carolum Imperatorem Ludouico tradidêre; & renunciatus, valdè quidem primò quod ſe inconſulto fecerint cõmotus, ſed excuſantibus ijs non modò gratiam & veniam, ſed gratias etiam & laudes. Haud multo poſt

Baſilius

Basilius bellum in Lithuaniã moturus ipse. Tartaros è Perecopo & vicinia grandi cum exercitu in Russiam, mercede immittit, ratus distenti Sigismundi statum sic perturbare posse; & conductus inductusq; Barbarus inopinatò superueniens, quicquid inter Leopolim ac Lublinum vrbes Bugumq; amnem interiacet, tumultu ac terrore tanto inuoluit, vt nulla prorsus resistendi, spes relinqueretur; prodijt tamẽ ex aduerso mercenarius miles, & insolens armorum Roxolana iuuentus, venit & Constantinus multa nobilium manu, inter eos Stanislao Haleccio Regni Marsalco; & exercitus hostium ad Sokalum assecutus, ipseq; speculatus; vt grandem multitudinem animaduertit (octuaginta millia erãt) abstinendum prælio, quina modo suorum millia habens censuit, nec in aperto decernẽdum, sed posito in angustijs milite expectandum, donec agmen per fluuium porrigeretur, sic lateribus & fronti modice adsultãdo nouissimos turbari posse. Cõsilium prudens & toties vsitatum ac fælix, sed à iuuene & forti magis quàm fortu-

nato mi-

nato milite reijcitur, imo deridetur: permulti enim mordaciter exprobrantes, incuſabant illum ignauię & imbelliæ, quaſi vincere neſciſſet, aut Polono militi (ô fatalem inſaniam) Lithuaniæ Polemarchus planè inuidiſſet. Verùm conſtantiſſimus virorum Conſtantinus, publicum bonum, & futurum certamen, quod cum ſui fama Polonorum infamia æterna mox decertarunt, proſpiciens, conuerſus placidè ad eos, per ſacra & gloriam gentis rogauit, audire & obedire duci ſibi vellent, præliumq́ue potiùs in inſequentē diem differāt, qua Tuorouium cum quingentis equitibus è Podolia, veteranoſq́ue ſuos ex Lituania affore ſperabat. Sed cum nec ſic deſinerent, indignatus, equum inſcendit, & egreſſos è caſtris reuocare iuſsit, tum qui & cæteros egreſſu inhiberent, & prælium quod imperitiâ poſcebant committi non ſinerēt, miſit. Cæterùm temeritas & vanitas iuuenum (quæ haud diu in laqueos incidit) corrupta inſtitutione ingenua, liberali, caſta, & viris fortibus

digna, cernere aut prȩuidere non poterat, quod non ipſum tantùm ferrum hoſtibus eſt formidabile, ſed multo magis induſtria ducum & ſapientia, diſciplinaq́; militũ & peritia; quæ heu iam nuper obtorpuit in populis olim fortiſsimis illique omnes vſq; adeo incenſi ad pugnã erant, vt nec egreſſi reuocari, nec qui in caſtris erant, vllius imperio retineri poſsent. Quod Conſtãtinus ægerrimè ferens; prælij euentũ experiri ſtatuit, & primo Polonos præliãdi cupidos tranſfluuium miſit, his Roxolanos cum ſuis veteranis ſubmiſit, ipſe cum paucis, cunctis auxilio manſit, At vbi ad ripas ventũ, Scythæ prælio inſtructi grandem ſagittarũ nymbum emittunt: Polonumq́; prodeuntem, vel ex aquis exeuntem non magno conatu è ripis deturbant, & in fugam conijciunt. Erant enim adytus anguſti, & accliues, idem vligine profunda ad gradum inſtabiles & procedẽtibus lubrici, quare facile ab aſcenſu deijciebãtur, hoſte ſuperiore è loco propellente & deturbante. Accurrit Conſtantinus cum ſuis

cum ſuis & additis recentibus, hortatur, & clamat, hoc illud eſſe prælium quod temere poposcebant ingeminando, pergerent igitur, inſiſterent & optatam victoriam obtinere hoſte propulsô properarent, Exarſêre animis Poloni, factoque cuneo irrumpunt perrupto hoſte: Sed dum in aperto concurrere incipiunt, Prima eorum haſtata turma, non ſatis proſpere manum conſeruit, & ſuo lapſu cæteras auxiliarias amiſit: barbari enim oppido eo in loco ſuccenſo occupauêre circumiecta plana, relicto illo vbi nec pediti iuſtus nec equiti vllus patebat excurſus. Huius itaque ignarus noſter vbi barbarum haſtis transfixurus, magno impetu procurrit, in foſſas celariorum ſpecuſque puteorum pręceps corruit, & dum enititur, obteritur reſupinatus aut vulneratur; auxiliario de trudente, ſeu eodem malo ſuper eo cadēte. Hoc Conſtātinus cōſpicatus, cum reliqua ſuorum manu alio in loco Bugum nādo trāſgreſſus, acrem impræſſionem facit, & iuſtæ pugnæ more dimicari inci-

re incipit, haſtis maximè in denſo vulnera ingerens, licet cum paucis. modo ſuis laborantibus ſubuenire poſſit, quos etiam hac è re nouus repente inuaſit ardor, & ferro viam ſibi licet confuſis ordinibus quiſque faciunt, pro patria, gloria, & ſalute decertando. Sed campus qui puluere ſtabat, impedijt proſpectum & triſte regijs prælium effecit, nam barbari de improuiſo veniens clamore & impetu tergis feſſorum circũfundũtur, Quos tamen excipit acrius vrgentes & procurrentes Polonus eques, & nec viribus nec animo primo cedit Conſtantino offirmante, qui nunc voce, nunc præſentia, ſæpe etiam gladio ſingulis aderat. Sed vis ac multitudo perrupit, & Conſtantinus rem in vltimo diſcrimine cernens, Deo & fortunæ cedendum ratus, in vicinam ſeſe arcem Sokalienſem recepit, cum eo Haleccius, & Martinus Kamenecius Podoliæ Palatinus, Friderico Herborto acri ac ſtrenuo iuuene remanente, qui vbi plurimùm periculi vidit, illuc intrepidus ſeſe offerebat; & *Hoc longè à me*

cælites auferant, vt fratres commilitonesq́; meos pro libertate & religione auita cadentes, deserere patiar, cum quibus simul & ipse occumbere sum paratus. Hasta manu correpta, equoq́, calcaribus adcursum incitato, in confertissimum hostem illatus acerrimè pugnauit, cui & temeritatis pænas millenis manibus discerptus dedit; cum quo simul & Nicolaus Firlei, Nicolai militię præfecti filius, à paganis confectus est. In eo prælio barbarorum capita, quatuor millia cum humo tegerentur numerata, iudicatũq́; à rudibus & bellorum etiam ignaris hominibus, qui post abitionem hostium, finitimis è vicis ad spectandum suorum sanguinem conuenerãt, plus ingenium quam vires in ad ministrãdo bello valere, & fortunam tum demum dominari, cum prudentiæ & consilio nullus fuerit locus: nam de regio exercitu mille ducenti viri fortes sunt desiderati, complures vulnerati. Sigismundus autem clade suorum cognita, nobilitatem minoris Poloniæ ad arma extemplò conuocat, &

 ipse vr-

ipſe vrbe digreſſus, Sendomiriam concitus pergit, ne barbari præda domum abacta, iterum agros vaſtatum reuertãtur, vt captiuorum quidam retulêre: cæterùm cognito illi per exploratores Sigiſmundi apparatu, æſtate ea cõquieuêre. Baſilius quoq; diebus iiſdem quinquaginta ſuorum millibus in Lituaniam dimiſſis, totã ferè regionẽ incendiis euaſtauit, & nõnulli Vilnam vſque populabundi excurrebãt: verùm minûs quàm Scythæ felici ſorte: à proceribus enim repræſſi, præda omni amiſſa, grandi prælio vincuntur, & vix pauci in Moſcouiam reuertuntur, quanquam notis itineribus regrederentur. Ergo poſt tempeſtates, Sigiſmundus lætus, & ingenti cura liber, feſta omnia Cracouiæ agere præfectiſq; gratulatus, nihil omittere quod ad lætitiam declarandam, & teſtificandam gratitudinem erga Deum, diuos, diuaſq;, pertineret. Cui haud multo poſt (& bruma iam appetẽte) nunciatum eſt Albertum, repentina defectione in Pruſſia, copias cogere, loca munire, & bellũ
ſumma

ſumma vi comparare, atq́; ipſum Gedanum regionis caput, & emporium Sarmatiæ noſtræ celeberrimum, niſi ſubueniatur in graui periculo eſſe, cum non furtim iam ſed palā infeſtaret cladibus incolas. Igitur tantam contumeliam mimine ferendam ratus, Torunium vbi primùm ſenſit, concitus pergit, & conuocatis regni proceribus, de ſtipendio rebuſq́; cæteris ad bellum pertinentibus agit, cui & Nicolaum Firleiū Sendomiriæ Palatinum præficit, conſcriptis peditum & equitum ſimul millibus decem, Albert⁹ verò, qui loca & regiones paſſim inuadebat atque occupabat, audito Regem bellum palàm edixiſſe, etiam more militari Fabiano Varmienſium Antiſtiti vicino, denunciationem belli mittit, & ſimul oppidum illius Bronsbergam naturali ſitu & propugnaculis firmam, cura proditorum captam, valido præſidio communit. Nicolaus aūt à Rege cum exercitu dimiſſus, oppidis arcibuſque non nullis breui receptis, Pruſſiæ interiora ingreſſus; Hollandum vbi Albertus

bertus ipſe erat, dimicandi animo porrexit: ſed illo inde elapſo, relictis interim qui arcem obſidione tenerent, Mariemuedrum ſeu Quidzinū cum copiis conceſſit, quod cum machinis appoſitis & diſpoſitis acriùs oppugnaſſet, Epiſcopus vrbis deditione facta, Torunium ad regem profectus, & honeſtis conditionibus depactus, fidelitatis præſtitit iuramentū. Fortè per id temporis Leo Pontifex Romanus turbis Pruſſorum auditis, legatos ad Sigiſmundum miſerat, componendæ diſcordiæ gratia, quæ ſi interuētu ſuo ob temporis breuitatem componi non poſſet, inducias quinquennales dari ſodalibus rogarēt, affirmās operam interea ſe darurum, vt arbitris vtrinque adhibitis componeret, & pax iam cōficeretur perpes. Sigiſmnndus *pacem ſe & arbitros non abnuere* reſpondit, *quinimo illum ipſum cauſæ iudicē optare, ac ſe resq́; ſnas omnes authoritati ſuæ ſubijcere; ſed etiam illud velle, vt ſodales ſecum ex fide, quietè agant, illamq́ue ipſam, maximum ſocietatis vinculum colant & vene-*

venerentur. Et mox literas quanquam contracto exercitu & parata in defectores vltione, dandum adhuc ſpacium ratus, ſi recenti exemplo ſibi ipſi conſulerent, pręmittit ad Albertum, venire ſe valida manu, ac ni quieti redeant aut obediant, vſurum ſuis modis, & aggreſſurum hoſtili manu: ne autem tale dedecus in conſanguineis & religione accidat, hortari atq; rogare, vt cunctos infamiæ ſeipſos morti eximant. A Principibus quoque Germaniæ, Alberto conſanguinitate iunctis, vt de componendis controuerſiis agerent, legati Torunium venêre, ſed multà eaque abſurdâ poſtulantes, cum re infecta diſcedere à rege iuſſi, vt qui de induſtria in conditionibus dandis & accipiendis tempus tererent tantum, quo Sigiſmundus inopia commeatuum per hiberna oppreſſus, exercitum reuocaret, & Albertus interim ſeſe recolligeret, copiasque colligeret; qui viribus imparem ſe videns & celeritate præuētum, fallere per ſpeciem fidei quæſiuit. Sed dum fruſtra de induciis

agitur, Iacobus Secigniouius acer & ſtrenuus bellator, centum peditibus ac totidem equitibus ſodalium ad Pruſmarcum occiſis, duodecem præſtantiores incoram legatis Sigiſmundo obtulit. Staniſlaus etiam Maſouiæ Princeps ducentis equitibus cæſis, oppida aliquot ſuo dominatui contermina expugnauit, & Piſsiam diripuit. Per idem quoque tempus & Criſcius, Nidbog munitiori oppido debellato, præſidium conquirendo commeatui opportunum & validum Guteſtadiæ impoſuit. At Nicolaus, cui ſummâ belli cõmiſſâ, Quidzino arctius firmato Hollandum reuerſus circumſedit, & oppido potitus apparatum omnem, ad arcem expugnandam conuertit. Et quanquam hyems præmebat, tormentis tamen æneis die ac noctu quatiebat, & tandem ſub ver ipſum cæpit; inde Heiligebeinum profectus cum arce diripit, tum Brandeburgũ munitam & turritam arcem, difficili aggreſſu expugnat. Secigniouius itidẽ ſub ſpeciem vaſtandi agri, atq; colligendorum cõ-

meatu-

meatuum, it cum manu aliqua Brunsbergam, ac dum adæquitat mænibus, erumpunt præsidiarij & pugnam committunt: ſed haud magno negotio intra mænia ſexcentis amiſſis repelluntur. Ergo de bello ſodales anxij, quod regem milite ac pecunia plus poſſe quam ſe intelligerent, etſi diutiùs bellum traheretur à Polonis, veriti ne ſumptus ferre non poſſent, belli moras præcidere quauis ratione cogitant, & mittunt ad Regem Lignicenſium Principem cum Georgio Marchione Brandeburgi, fratre ipſius Alberti; quibus ille perhumaniter exceptis, pacem ſe pro vetere conſanguinitate & amicitia, libenter & accipere & dare, modò æqua poſtulentur, reſpondit: iuſſitque pro more diuerſoria & quotidiana cibaria non minore elegantia quàm copia præbere; ſed quum non concederentur, multa vanè rogata, acceptis ampliſſimis muneribus, Vratiſlauiam, atque inde domos quisque ſuas ſunt reuerſi. Interim autem ductores equitatus, à Sigiſmundo ad Nicolaum miſſi, in Re-

giomontano ac Brunsbergensi agro castella aliquot vno eoque strenuo impetu ceperunt, & multa egregia facinora ediderunt, Bartensteino ad Habum expugnato, pluribusq; excursionibus, propè portas Brunsbergæ factis. Quapropter Albertus frustra vim à se tentari, & omnia aduersa videns, verba de pace aut deditione facere & orare, vt ipse in colloquium venire, & coram de rebus arbitrari possit. Facile impetrat, & Sigismundus, natura insontes & hostes lenis, decreuit oblatam occasionem frustra labi non sinere, sodales verò sinere; licet à vera pietate desciscentes. Ideoque re cum suis pensiculatâ, aditum Alberto oranti securum concedit, sed intra præscriptos dies Homagiū præstaturo, aliter autem nec licere nec decere. Et hæc dum apud regem aguntur, & pacis mentio inchoatur, Nicolaus qui Regiomontem metropolim regionis & religionis arctè circumsedebat, vbi sodales cum antiquis se thesauris tuebantur, iussu regio ab oppugnatione desistit;
cessa-

cessatumque ab infestatione passim. Et Albertus sub speciem pacis, ad Nicolaum egressus & castra liberè speculatus, vt quæquæ maximâ vidit, ad regem se breui profecturum dixit, & cõturbatus animo, molestiarumque pertæsus, multa apertè de reconciliatione & rebus suis cum illo egit: sed cum iam apud suos & in vrbe esset, nectere moras & exuere promissa suasu suorum visus, qui auxiliarios exercitus breui è Germania sperabant. Et cum morâ illâ, cunctantibus Germanis, (nam & ipsi externas gratias quæsiuere) tempus frustra præscriptum elaberetur, Nicolausque dolum adoratus, acriùs & arctiùs vrbem obsidione præmeret, placando ille auunculo & exoluendæ culpæ, Torunium sub fide publica proficiscitur; vbi satis comiter, & regaliter excipitur; sermones inter eos varij & de pace primùm fuerunt; verùm tamen segnius consultò Albertus agit, siue quia nec antè seriò cogitasset. Iamque tempore expirante, iusiurandum postridie facturus erat,

cum ecce præpoſitus quidam è Regiomonte veniens, nunciat Theutunicos exercitus breui aduenire,& iam ad Memlum quatuor peditum millia claſſe expoſita eſſe. Quod ſimulatque accepit, extemplò abeundi conſilium cæpit, & petita à rege veniâ,atq; præſidio, quod redeuntem proſequeretur; protinùs Regiomentem pergit,illosq́ue recentes pedites,additis aliquot ſuorum turmis Brunsbergam nauibus mittit, quos claſſis Gedanenſium obuia, tanto impetu inuaſit, vt protinùs omnibus neglectis, ſemiermes & inermes alij à littore & nauibus diffugerent, ſolius ſalutis memores; Sed ab agreſtibus iterum turbati,& capti ad Regem deducuntur: armorum autem, ſignorum, & tormentorum quidquid fuit, totum Dantiſcum cum nauibus eſt perlatum. Rexq́; hiſce renunciatis extemplò copias Brunsbergam vertere, & diligenti opera circumfundere Nicolaum iubet,quod eam Vrbem propter loci propinquitatem, maximè opportunam ad Regiomontem coarctandum intellige-

telligeret. Et tunc vapulare multorum sermonibus regia comitas aut credulitas, cur *hominem toties rebellem, & olim multò maiores turbas daturum, non tenuisset, cum in illo ipso velut torre, extinguere incendium surgens potuisset?* Sed Sigismundus *dimittendum, et si res turbaturum* respondit, *quia sub fide publica venisset, & se potestati auunculi Regisq; Poloniæ cõmisisset; bellum autẽ præsens vti Deo iuuãte, lacessiti suscepimus, ita eodem fautore & adiutore confecturos è sententia speremus.* Nicolaus verò soluta Regiomonti obsidione, & exercitu per Brandeburgum ducendo, atq; oppida quæ resistebant cogendo, multos populos ac regulos, partim voluntate partim metu ad se retraxit, commeatuque conuecto Brunsbergam castris bifariam diuisis obsedit, quorum vtraque sub vrbem ad mille passus posuit. Et ad primum eius aduentum trepidari ac tumultuari intus quidem cæptum, sed sodales onerariis Regiomonti celeriter instructis, frumenta, milites, arma, imposuêre: &

re: & nullo resistente in Vrbem exposuêre; classis nanque Sigismundo interea deficiebat, & oppidani consilio regis antè præcognito, ad resistendum benè sese cõparauerant, murosque viris, tormentis, lapidibus, ac missilibus compleuerant adeò, vt obsidendi potiùs quàm oppugnandi viderentur. Ideo Nicolaus lentè oppuguationem agere instituit, & comparata extemplò magna agrestium manu, latoq; extra teli iactum aggere extructo, ingentis magnitudinis fossam circum vrbem ducit, & crebris eam turribus communit. Sed in his agendis complures dies consumpti, ipsaque obsidio in longum protracta, nam murorum crassitudo lata & alta fossa etiam circumsepta, ictibus bombardarum haud obnoxia, difficilem habebat oppugnationem, quam adhæc præaltum interius solum, turresq; crebræ multo munitiorem faciebant, & annonæ quæ nauibus haud difficulter importabatur, ac præsidij affatim in ea erat; Interim centum sodalium equites Nidburgo

burgo digreſſi, villas Maſouiæ conterminas mẽtito nomine euaſtabant, ſed cogniti, ab agreſtibus & circumuenti, ipſo ductore excepto cæduntur. Dum verò hæc in Pruſſia aguntur, Scytharum Perecopenſium millia duo, excurſione per Podoliam facta multis populationibus & incendiis; agros atq; aggreſtes circum habitantes infecerant, donec à Trzebinio cohortis regiæ ductore reprimerentur, aut opprimerentur omnino: qui coacto ex oppidana iuuentute quem potuit equitatu animoſè obuius currit, confligit, & affligit; ſed in quo etiam conflictu Iacobus Strus, iuuenis honeſto loco natus, & animorum plenus, barbarâ ſagittâ trãffixus occubuit. Sub idem etiam tempus Baſilius Moſcouitarum, legatos, pacem oratum ad Sigiſmundum miſit, ſed eam ille haud paciſci poſſe, Smolenſco ſibi non reſtituto, reſpondit. Ac interim nuncius, per diſpoſitos equos Cracouiâ digreſſus, natum ſibi hæredem & ſucceſſorem Sigiſmundum AVGVSTVM aſſeruit: quo nũ-

cio Sigiſmũdus lætus, Swierſczouium cum aliquot equitum turmis, Nicolao Brunsbergam obſidẽti auxilio ſummiſit, vt maiori atq; intentiori cura ſub auſpiciis hæredis recenter nati, vrbem illam oppugnaret, quæ ab illo aſſiduis tormentorum ictibus quatiebatur, ſed naturali ſitu & opere permunita inexpugnabilis videbatur, modo quod prætoriana domus quaſſata & conuulſa ingenti cum fragore ruinam dedit. Eodem etiam tempore Heilsbergam Varmienſis Epiſcopi ciuitatem Albertus irrito incæpto oppugnare aggreſſus; namq́ue oppidani ſitu & rei frumentariæ copia tuti, adhæc regio præſidio adiuti, haud ſegniter ſeſe & mœnia ſunt tutati. Idcirco Albertus ab opere deſiſtit, & ſuburbio incenſo Reſlam copias omnes reducit, verùm & hanc egregiè munitã videns Raſtembergum haud impunè contendit, Secignioui-us enim Reſlani præſidij præfectus in nouiſſimos eruptione facta, ſtrenuo impetu inuehitur, & multos ex hoſtibus aut vulnerat, aut reſiſten-

ſiſtentes cedit. Albertus etenim ſuos ad prælium cohortatus, vt & dimicarent & progrederentur ſimul propero gradu Raſtemburgũ duxit, & ſexcẽtis amiſſis in vrbem induxit, omnes ſumma laſſitudine confectos. Idem & ad Barſteynum accidit Iacobo Broſouiecio erumpente, qui ad ſingulare certamen prouocatus, victor & incolumis euaſit, illumque ipſum præliatorem grandis ſtaturæ virum, victum & vinctum in duello, Sigiſmundo puſillus ipſe adduxit. & quid? niſi riſum aut ludibrium fecit, ob eamq; rem perliberaliter à Rege eſt habitus. Hoc vlciſci Albertus volens Melſzak oppidum, tempore quo luna minimè pernox erat celeritate vſus, contra ſuorum propè omnium ſententiam vnico impetu cepit, diripuit, afflixit: Laurentio Miſcouio, qui præerat, expulſo. Inde lætus & animo auctus Ornetam expugnare cõtendit, quam Plaza & Staniſlaus Raduancouius præſidio curabant; & quidem primo oppugnationem atque arma Alberti egregie exceperant,

rant, ſed minanti & paciſcenti oppidum deſeruêre, metu ne territi an auro corruptiū dubiu; infamia tamen ob hoc vterq; notati. Cum autē ſub autumni initium Regi nunciatum eſſet, validum è Germania exercitum Alberto ſuppetias venire, & iam Francoforti ad Oderam conſiſtere, conuentu Vagrouicij ordinibus edicto, maioris Poloniæ nobilitatem arma arripere & hoſti aduentanti, obuiare iubet quàm citiſſimè, nō enim per id temporis Torunij agens eas copias habebat, quibus poſſet tantis aduerſariorum copiis aut viribus obſiſtere; & miſſis, in Podoliam qui pro more contra ſubitas Tartarorum excurſiones, excubarent, reliquos mercenariorum cum nobilitate Pruthenâ opponit Alberto, à quo interim Lignicenſium dynaſta miſſus, Vagrouicium venerat, & venire ſe pro pace adſimulabat; ſed vt exploraret certè, & mentem Sigiſmnndi cognoſceret; à quo comiter tamen & benignè exceptus erat, & ille ſalutato Rege magnificisq; verbis ornato, cum de pa-

de pace componenda agere cæpiſſet, nihil præter Torunij diſputatas conditiones dare aut accipere voluit. Quare conſtanter Sigiſmundus *ſe Teutonicis armis minimè deterreri, neque minis vllis ſuſceptam expeditionem deſerere*, reſpõdit, *multo tamen optare ac rogare vti Albertus abſiſtere ab incæpto in animum inducat, ſuamq́; amicitiam retinere quam inimicitias experiri malit.* Ita ille abit & Sigiſmundus Schonbergius Teutonici exercitûs Magiſter, Regi Regnoq́ue Polonico belli denunciationē mittit, quam Sigiſmundus in pleno Senatûs excipiens, *perpetuam ſibi cum Alberto gratiam atque amicitiam fore* declarauit, *ſi ille iure ſuo benè percognito fines regni laceſſere deſiſteret; ſin minus, ipſe animatus eſſet & bellū pararet: ſe autē ſperare Deum æquum iudicem, vnde ius, inde & victoriam daturum.* Et interim Germanus miles, Miedzirzec oppidum in confinio Sylleſiæ, tormentorum ictibus triduo quaſſatum, ac debellatum diripuit, non nulloſq́; circumiectos vi-

cos paucis diebus euastauit. Cum quo sodales pepigere, vt equestribus præliis Schonbergius certaret, obsidia vrbium ipsi capesserent. Quod simulatque Sigismundo, renunciatum est, confestim mille sclopetarios equites, lectos omnes, Posnaniam mittit, vt assiduis procursationibus Teutonem vexarent statariæ magis assuetum pugnæ. Igitur leues isti & equis potiores, plerisque in congressionibus hostem ludificati, qui propter armorum grauitatem vagos procursantesq́; sustinere haud poterant; maximè autem Prædislaus Lanckoronscius & Andreas Tęczynius milites Hierosolimitani acerbi fuêre, qui turmas aliquot quotidiano prælio, & vagis incursibus adeo affecerant, aut afflixerant vt omnes penè captos ad Regē deducerent. Quocirca, confecti illi inedia & peruigilio, per Nouam Marchiam, Polonia egressi agmen in Prussiam ducunt; sed rursus ad Valc oppidum turbati, impressionem accipiunt; namque Lanckoronscius dies ac noctes non intermisso itinere, cum

re, cum ſuis dilectis occurrit, & ſubitò in primam aciem inuectus, inopinantes perturbat; ſolusque ſcuto tectus, omnes hoſtium acies incolumis peruadit, atq; è ductoribus captum in caſtra ad ſuos ducit: cæſi in eò conflictu aduerſariorum octuaginta, triginta verò Sigiſmũdo captiui remiſſi, à quo prouincia pacata omnes dimiſſi, ſed & veſte atque viatico donati, quum plenæ eſſent eorum turres & ergaſtula. Eadem ſors & Ioanni Zarębæ Palatino Caliſſienſi fuit, qui nouiſſimum agmen moratus, centum quinquaginta equites, pedites autem ſexaginta ſaluis ſuis omnibus confecit. ſicque regiis de induſtria obſeruantibus, ſi qua benè gerendæ rei occaſio ſeſe offerret, per ſingulos penè dies, prælia inuicem gerebantur, non tamen vt in vniuerſum certamen veniretur. Et Schonbergius plurimum referre exiſtimationis ſuæ arbitratus, hoc initio expeditionis, præclarum aliquod à ſe facinus agi; quo maiorem de ſe expectationem concitaret, ad motis vndique
luce

luce dubia copiis, Kamien oppidum primo aduentu cepit, quo tempore regij vino sopiti (vetus hoc Polonis malum) plerique omnes subtectis somnos ignouissimos ducebãt; tamen clamoribus exciti arripiunt arma, & in Proximum sese tumultum ferunt, sed nec virium nec mentis compotes, hostibusq; conatu magno perrumpere adnitentibus, turbanrur, terrentur, & oppido cedunt, curribus, equis, & armis, à missis. At Albertus audito subsidia aduenisse, noluit & ipse in eodem loco tempus absq; vllo fructu consumere, sed mox partem copiarum lætus è Regiomonte sumit, lectos omnes, sex millia peditum, mille equites, & Helsbergam arctissima obsidione premit; iamque pars muri ictibus tormentorum quassata corruerat, & oppidanos in summum discrimen adduxerat; cum ecce Secigniouius, magno animo facinus ausus, per medias hostium stationes, cum mille dilectis oppidum incolumis intrat, & defensoribus per mænia dispositis, ac misso militari more pro-

re prouocationis ſigno, Albertum in póſterum diem ad pugnam prouocat. Attonitus ille, animoſaq́; audacia viri perculſus, non placere ſibi prælium committi reſpondit, rebus expugnationi neceſſariis, nondum è toto præparatis, ſed in aliud tempus differre: quare nec prouocationis ſignum Secigniouio remiſit. Sigiſmundus autem ordinum cònuentu dimiſſo, protinus Bidgoſczam cum exercitu mouit, vniuerſam prælij fortunam tentaturus, priuſquam tantæ Germanorum copiæ, cum caſtris Alberti coniungerentur; verùm cum accepiſſet Schonbergium per Pomeraniam agmen in Pruſſiam ductare, & iam Słuchouiam oppugnare, nihilo ſequius ipſe in ſuſcepto couſilio manens, partem equitatus cum Zarębа dimiſit, vt quocunque illi mouerent conatus eorum nauiter fruſtraretur, Koscieleccio Mariæburgæ præfecto, cum peditatu præmiſſo ad viſtulæ ripas, ne vterque aduerſariorum exercitus flumine tranſmiſſo coniungi poſſet, quod ſummopere ſoda-

 les à ſe

les à ſe parum validi affectabant. Schonbergius vero aliquot diebus in Sľuchouiæ obſidione fruſtra conſumptis, vt vidit obſidione magis quam oppugnatione opportere ob naturales locorum ſitus, & firmis munitionibus valida præſidia impoſita, exercitu ad Choinice perducto, vna propè excurſione oppidum cepit. Inde motis ad Starogardum caſtris, cum oppugnationem aliquot diebus acrius arctiusq́; feciſſet, opidani ſpe auxilij præciſa, ſalutem ſuam & fortunarum pacti, in Alberti ſodaliumq́; poteſtatem oppidum dediderunt. Aliquot præterea circumiecta caſtella absq; certamine ſunt recepta; atque inde Tſczouium cum vniuerſis copiis, viſtulam tranſiturus, profectus, cum oppidanorum animos præter ſpem reſiſtentes inueniſſet, admotis vndique copiis, oppidum muro diruto per vim recepit, & in prædam militibus conceſſit, collectisq́ue vndequaque nauibus amnem tranſire conabatur. Sed cum fruſtra ſeſe niti animaduerteret, propter Koscièleccij vigilan-

vigilantiam, qui tormentis & peditatu validus, in aduersa ripa transitũ acriter prohibebat, cõuerso itinere Dãtiscum obsidere instituit. Cum autem vrbs eiusmodi foret, vt nec vi nec machinis vllis, sed diutina obsidione tantum expugnabilis esset, clam cum oppidanis colloqui cępit, & de vrbe dedenda pacisci; iamq; in scelus proni ciues videbantur, sed ausa eorum impediuit præsidiarius, qui tormenta in hostem ex templo verti iubet, & diremptis colloquiis murum subeuntes lapidibus & pilis summouet; tum & ciues ipsi Polonorum audacia seu constãtia offirmati, multos in spem deditionis propiùs succedentes letho dabant, & quotidianis excursionibus solicitans, tot captiuos ducebãt, vt quid iis facturi ignari, plurimos in sua dimitterent sacramento adactos. Et sic exercitus erumpentium vigiliis afflictus, annonæ penuria & cęteris ob anni tempus incommodis laborare cæpit; vnde & in hominum corpora vulgatus morbus passim sæuiens, complures aut ex-

tinxit, aut longa valetudine afflixit. Sigiſmundus autem Dantiſci obſidione cognita, quo ſpem & animum obſeſſis daret, Nicolaum Firleium cum ſex equitum millibus, properis itineribus ſubſidio miſit, qui celeriter mouens Tſczouū & Starogardiam in itinere aggreſſus, primo aduentu in poteſtatem Sigiſmundi recepit, & inde per patentes campos exercitum ducens, pugnandi poteſtatem Schonbergo facere cæpit. Cæterùm ille, ipſum Regem cum exercitu vniuerſo venire arbitratus, in Pomeraniam caſtris relictis retroagmine proceſſit, ſiue hoc metu deterritus; ne ſibi poſtea cum vellet diſcedere integrum non eſſet, ſiue in vltimum diſcrimen, res Alberti atq; ſuas adducere veritus. Et dum è caſtris caſis ſuccenſis mouiſſet. Zaręba præſidij præfectus, rei bene gerendæ opportunitatem nactus, cum ſubita aut ſolita erumpentium manu in poſtremum agmen illatus, tantam animis conſternationem iniecit, vt nec ſigna ordine ſequi, nec dicta imperatorum accipere,

cipere, vllo modo Teuto perculſus vellet, ſed trepidā omnes popoſcerēt fugam, quippe cum non equos non etiam vires integras ſibi eſſe intelligerent. Et Zaręba equo conluſtrans cuncta, vt præcipites cedere hoſtes vidit, inſidias ratus ab iis perſequendis ſuos continuit & Nicolaum maiori cum equitatu præſtolatus, à tergo obequitabat minirabundus. Quâ re Nicolaus cognita, ſumptis properè armis, cum ſuo equitatu aduolauit, & parte copiarum in abeuntes cum Zaręba immiſſa, ipſe Choinice oppidum totis viribus cum reliquis oppugnare adortus. Schonbergius autem vt Zarębam viribus auctum in ſe venientem animaduertit, ſuos quoad tuto poſſent, & dimicarent & progrederentur rogauit, ipſe in extremo agmine propugnans ac ſuſtinens, optimi imperatoris, & ſtrenui ducis officio fungebatur, hortabaturque ſuos vt audacia reſumpta virtutem factis egregiis oſtenderent. Sed metu præualente Lemburgam ſeſe cum copiis recepit, ſex-

centis primo & noningentis ſecũdo prælio equitibus amiſſis, quorum centum quadraginta nobiliores, ad Sigiſmundum reducti. Nicolaus autem ad Choinice profectus, obſidionem quam deſtinauerat arctiſſimè habens, nihil remiſſum aut quietum, apud circumſeſſos & laborantes ſinit, qui non minus pertinaciter quam fortiter, diurnos nocturnosq́; labores ſuſtinebant; & tandem cum nulla ſpes auxilij eſſet appareréntq́; indies difficiliora omnia, ſcriptis conditionibus ſe atque oppidum dedidêre: oppidanis publicè priuatimq; venia data. præſidiarij autem ſtipendiis acceptis in Sigiſmundi verba iurauêre. quod exemplum & alia à Germanis oppida capta ſtatim ſunt ſecuta. Hæc vbi Sigiſmundo nunciata eſſent, nobilitate quæ officij cauſa ſequuta fuerat dimiſſa, & Zoracinio qui è Bohemia accerſitus turmas aliquot ductitabat, ſtipendio perſoluto, Breſtiam ipſe Cuiauiæ ad pecuniam conquirendam reuertitur. Albertus clade Schonbergij cognita iratus

&per-

& perturbatus, ipſe caſum amici vlciſci parabat, & copiis vndiq; coactis, excidio aut exitio Helsbergenſibus futura, ſumma cura comparabat; tandem caſtris pro loci natura poſitis, renunciare obſeſſis confeſtim iubet, vt vel continuo deditionem facerent, vel ſe ad extremum certamen compararent. Verùm cum & illi conſtantes deditionẽ recuſarent, & oppidum mænibus permunitum vi capi non poſſet, obſidẽdi tationem cæpit atq; in eo pugnabat, vt multitudinem incluſam fame ad deditionem compelleret. Cæterùm ea obſidio illi ipſi magis acerba erat, vehementer enim in caſtris laborabatur inopia commeatus, cum Alexander Ilouius cum ducentis equitibus gregario militi atque calonibus infeſtiſſimus eſſet, & Secignioui-us ex oppido quotidianis eruptionibus, nihil quietum, non diu non noctu in caſtris ſineret vt obſeſſo ipſe magis in caſtris ſimilis eſſet. Quare neceſſitatibus hiſce victus, ſoluta vrbis obſidione copias Raiſtembergum reduxit, ſed reductus

ctus à Secigniouio certè, qui eminùs illatus stragem ingentem in nouissimis edidit, & Albertus ipse ægrè insequentium manus euasit, cum nunc agendo nunc impetum sustinendo subduceret suos. Ergo delectu raptim in vrbe atq; agris circumiectis habito, vlturus nocte eadem ad mænia Helsbergæ accedit, vt sopitis de multa lassitudine vigiliis, vrbem ex improuiso adoriri possit: verùm hanc rem Secigniouius coniectura suspicatus, confestim suos ad signa atq; ordines redire iussit, & ipse nocte tota pluribus simul rebus intentus, quid aut seqnendum aut cauendum sit, animo continenter agitabat. Et Albertus cum nihil dolo tentato proficeret, attentiori cura oppidum obsidere cæpit, sed pro consueto tamen, quotidiana prælia conserebantur in castris, & ne quietæ quidem à certamine noctes erant, cùm adeò obsidentes præsidiarij afflixissent, vt multos è sodalibus ipsis caperent, aut vulnerarent etiam intra munitiones valli. Cumpluribus igitur diebus in ea re

agenda

agenda frustra Albertus consumptis, suorum labori ac discrimini parcendum statuit, atque spe expugnandæ ciuitatis abiecta, Regiomontem reuerti cum exercitu instituit. Igitur agmine composito iter faciens Naumarkum cura proditorum capit, & minutiora non nulla oppida diripit, distributisq́; per hyberna militibus. ipse in vrbem reuersus est, vt pellicem suam in matrimonium elocaret cum prioribus cœtus. erantq́ue iam tunc religiosi atq; obseruandi dies, quibus Christus Deus noster, crucis supplicium pro salute humana perpeti voluit. His ille per summũ scelus nuptias amasię peragebat,& Secigniouius simul (meo animo hic acerbus) cum Llouio, cædes & clades in popularibus edebat, eratq́; fædissima imago latitantium, fugientium, eiulantium, virorum, liberorum & coniugum,cum ille conuocatis frumentariam ad prædam finitimis, quo hybernantes ad inopiam ac famem redigeret agros excursionibus vastaret, & Szeburgum inopinato superuêniẽs

ipſo lætiſſimo Paſchatis die cæſo præſidio diriperet. vbi & è ſodalium numero ducenti cecidêre. Coacta dein aggreſtium multâ manu, frumentum comportari Helsbergam, tutosq; ad locos paſſim iniungebat, ipſe maritimã per orã instructo cûm exercitu peruagatus. Quæ res ingenti Albertum dolore affecit, & ob ſummam verè præſertim appetente commeatuum inopiam effecit, vt iræ plenus atque vlciſci certus, duo peditum millia extemplò Elbingam mitteret, dolo eodem vrbem euaſtaturos; iamque ad portas & muros nocturnis tenebris ventum erat, ſed in poſterum diem iuſſu ductorum certamen extractum: magni enim diſcriminis putabant noctu cum oppidanis, & in vrbe maximæ parti ignota pugnare. Itaque luce dubia intra ſuburbij domus latitant, & portis de mane apertis, magno impetu in vrbem feruntur. Tum qui intus erãt vt inſidias palàm factas eſſe perſpexerunt, exanimati, quid agendum & cui potiſſimum parti aut loco ſuccurrendum incerti,

certi, cedunt quidem primò & turbantur, ſed tumultu & clamore excitati è domibus repentè proſiliunt recentes, & portis ipſis atq; omni aditu clathris ferreis confeſtim obſtructo, cum ingenti clamore in hoſtes nuecti, eorum impetum paululũ repreſſerunt; omnem ſalutis ſpem vna virtute contineri arbitrantes. Eratq́; paulò difficilior oppidanis propter platearum anguſtias pugna, quod & parũ armati & ſimul multi pugnare non poterant. quare extractum erat certamen ad horam circiter ſeptimam hoſtibus in arcto ſtrenuè propugnantibus, & tandem terga dãtibus, plebs timida è tectis certatim deſilire, & aucti animis lapidibus petere, atq; tota vrbe pellere. Per eosdẽ dies, aliquot maritima caſtella recepta, pagis & vicis omnino ſpoliatis; quæ cladium procella, totam Pruſſiam peruagata, omnium qui Nazaræis parebant mentes, terrore ſimul & admiratione compleuerat, regisq́ue & exercitus nomen illuſtre eſſe cœpit, contra Alberti. qui afflictis ac proſtratis rebus

 ſuis,

ſuis, cum ſe tot calamitatibus exhauſtum cerneret, & popularium iratos ac iam de rebellione cogitantes animos verebatur, & quo rem ſuam Schonbergo profligato tutaretur, iam omnino non habuit. Igitur ſeriùs & intentiùs de pace agitare incipit, ad Principes Germaniæ, opem & conſilia oratum mittit; & quibus artibus poteſt, Regem ſibi conciliare ſtudet. Ad quem haud paucis poſt diebus ab Imperatore & Pannonum Rege, Lignicenſis & Brandeburgen Principes miſſi, veniunt, adeunt, & de pace verba inſerunt; & ille comiter acceptis atq; auditis, inducias quadrigennales rogatus dedit, & vrbes quas olim tenuit, nunc etiam habere iure eodem cõceſſit. Atque ſic rebus cum Alberto compoſitis, & tractu omni Prutheno pacato Petricouiam, conuentum indicturus mouit, ad quem Ludouicus legatos auxilium contra Turcas orantes, interea miſerat, à quibus eo tempore Alba ſeu Belgradum munitiſſimum Pannoniæ propugnaculum obſidebatur. Huic ille

conuen-

conuentu abſoluto, ſex equitum millia cum Ioanne Tuorouio miſit, dignitatis & humanitatis ſuæ exiſtimans nepotem periculo quamprimum liberare, atque ſimul in Podoliam quatuor veteranorũ millia emiſit, ad repulſandam vim Tartarorum, quos Soleimanni inductu, ob data auxilia Ludouico irati, per Ruſſiæ fines perrumpere ſperabat, cum id ſine damno & iniuria popularium futurum non eſſet. Machmetkyrei enim Tauricanus Princeps Nohayſcenſibus Barbaris finitimis, deinde & longinquis interim ſubactis longius manus, etiam ad Kazanenſes ea æſtate porrexerat: & Metropoli eorum ſub Baſilio Moſcouitarum (is enim genti præerat) euerſa, venit cum magno & victore exercitu ad fines Moſcouitici Imperij, cui & bellum ingẽtis viribus parabat, è cuius caſtris quinque pabulandi gratia millia excurſione per Lituaniam facta, Modzir oppidum celeritate nõ virtute captum & combuſtum diripuêre, paruiſque aliquot caſtellis & vicis inter Pinskum

& Sluckum impunè vastatis, cum præda onustâ ad suos rediêre. cumque copiis omnibus per oram quādam finium regni progressi & Okam fluuium transgressi, egressum Basilij, positis ad vrbem Moscouiam castris præstolabantur, & signis in aciem eductis, copiam pugnandi per internuncios more militari, & dabant & postulabant. Cæterùm ille viribus imparem se videns & celeritate (qua Tartaricæ copiæ sine vlla cōtrouersia facile omnibus gētibus præstant) præuentum, intra vrbem suos continuit. Machmetkirey autem cum ad multam diem in armis permansisset, & nulli hostiles apparerent exercitus, tanquam victor mænibus insultans vsq; ad portas cucurrit, Basilium voce compellans & increpans, & tandem vesperascente die, sese cum copiis in castra recepit. Et lōgiùs liberiùsq; vagatus vniuersam illam prouinciā tumultu ac terrore quatiebat, ex quo omnis generis prædam trahens, ad trecenta mortalium millia in Tauricam auexit. Quibus malis contiguorum

territus

territus Sigiſmundus, & nec ſatis ſciens quâ victrices ille reduceret copias ſollicitus, plurima diuerſaque animo agitabat, miſſisq́; qui finibus regni intenderent, vel Boryſthenem tranſire conantes arcerent, ipſe cum nobilitate vniuerſa ſubuenire paratus erat; Sed primũ omniũ Conſtantino negocium dat, vt dimiſſis longiùs exploratoribus ſciſcitetur quid agant, & quem curſu teneant, & ne Kiouiam petant diligentiſſimè obſeruet. quod ſi appropinquare ceperint nuncium ad ſe celerrimè mittat. Sed barbarus Sigiſmundi vigilantia cognita, Capham ex cõpoſito diuertit, & captiuos diuendit. Moſchus autem poſt grandem ſuorum popularium cladem, cum nullam aliam tuendi ſtatus ſui rationem animaduerteret, ad regis amicitiam ſocietatemq́; confugere decreuit, ad quem anno inſequenti Vilnam legatos miſit, fædus memoraturos & cupientes renouari dextras; Res ad cõſilium delata. poſtq́; longam diſceptationem, inducias concedendas cenſuêre omnes, indignum

dignum dicens perpetua horum ſocietate vti, qui inimico animo perpetuè in Polonos eſſent. Itaque dedit Sigiſmundus quingennales, quas ipſe quidem optima fide ſeruauit, at Baſilius minimè, vt infra ſuo loco dicetur. Temporibus fermè iisdem, cum Chriſtiernus, Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ Rex per tumultum imperio pulſus eſſet, Sueuicæ factionis principes ad Sigiſmundum (qui conſilio atq; animo cunctos ſui temporis reges anteibat) legatos miſêre in Poloniã, qui illum ad Regnum capeſſendum accerſerẽt. Chriſtiernus nanque regnis intendens, primùm mirè clementem ſe exhibuit & benignum, etiam liberalem vbi opus, adeò vt refugium & aſylum iniuria aut inopia preſſis haberetur, ſed mox iam dominationis certus, & noua religione Luteri (quam ille ex antiquis hæreticorum erroribus velut per ſatyram miſcuit & cõfecit, in Deum, ſanctos; & Pontificem ſummum linguæ ſuæ tela vibrans) imbutus aut infectus, rettulit ingenium, quod pauliſper ſe poſuerat, &

Epiſco-

Epiſcopos Senatoresq́; Regiæ ſtirpis omnes interfecit, in conuiuio huic rei de induſtria parato, ne quis pietatis aut virtutis æmulus supereſſet. Item Religioſos & ſacrorum adminiſtros: Denique in vulgus ipſum promiſcuè ſæuiit & tyranide oppreſſit: quare extruſus, in publico odio & infamia obiit. Sigiſmundus quoque regnum vulgi & procerum iudicio oblatum reiecit, ſolam locorum longinquitatem execratus, qua præpediente ordinem ſeruare ſeu compoſitè imperare ſe haud poſſe dicebat. Suſcepiſſet tamen perſuaſus à ſuis ſi priſtinam authoritatem retinere morbus & ſenium ſiuiſſet, ſed concuſſus liberè recuſauit, ne ſe patriamq́; ſuam nouis & periculoſis bellis implicaret. Mirantibus autem & inſtantibus legatis vt nõ illud modo exciperet oblatum, ſed alia etiam iure eodẽ peteret, fines regni ſui & dominatus cum laude & vtilitate dilataturus, atq́; dein ſucceſſoribus, vaſtas terrarum prouincias relicturus; illis ipſis autem vicariũ modo cum mille equitibus Po-

lonis pręſidio & imperio pręponeret. in claram hauc vocem erupit *Non eſſe dignum regio honore qui plus ſuo quam populorum bono largiretur, cuius perenne officium eſt, ſuorũ ſalutem in vigilantia ſua, nõ in aliena fide ſitam fouere, atq; oportere aßiduè vt paſtorem ante oculos ſubditorum verſari, & pro ſalute eorum ſincerè & ſeriò cogitare, procurare, & incoram diiudicare. At quo illi ſeu prouinciæ plures eo curæ maiores aut metus, quibus inualidus ego ſenectâ nequaquam ſatis facere potero, ob tantam terræ marisque inter capedinem, ſed hoc vno Poloniarum regno (cuius directio & tutella deſuper mihi cõmiſſa) contentus, vobis populoque veſtro gratias quas debeo ago, quod hæc mihi de vobis haud merito contuliſtis, & tot regna obtuliſtis.* Igitur his populus renũciatus Guſtauum, noſtri Sigiſmũdi Tertij (quem & proaui illos animos, imo felicius ſumere bellis & victoriis clarum tacitum multorum eſt votum) auum, qui ante gubernator præerat, ad regnum ſuſtulit & circumfuſa multitudiue, inſigne regium capiti eius impoſuit?

ſuit; Et hic mox pacem poſt turbas & fluctus ciuiles vbique peperit, hoſtibus etiam foris victis aut repulſis. Anno nouo Mechmetkyrei Tauricanus bellum Zauolgenſibus Tartaris magnis viribus fecit, ſed eo fine, vt victus & vinctus in manus hoſtium ipſe veniret & indignantem animam, millenis manibus diſcerptus in alieno ſolo amitteret, nam rebelles illi, à ſe parum validi, auxilia à finitimis Nogayenſibus & etiam longinquis ad Mare Caſpium atq; Hyrcanum habitantibus petunt, & hunc locorum imperitum vaſtas inter paludes cædunt, fraudibus circumuentum ad fauces Tanais. qua tempeſtate Oſtaphæus ſeu Oſtaphianus arcis Cercaſſienſis præfectus, olim ad Oczakouiam in prælio captus, euaſit, cuſtodibus ſtrage & morte principis turbatis. in cuius locum Soleimannus Sedetkireium adprobantibus ipſis Præcopo præfecit, qui imperium ademptus, mox Sigiſmundum ad pacem ac ſocietatem etſi pro ingenio gentis parum fidam aut diuturuam inuitat, &

auxiliares copias regno, tanquam iuris ſui res ſit promittit, aduerſus quoſque Poloniam laceſſentes; oratores collaudati donatique dimiſſi. Iiſdem diebus Mathias Miechouita Canonicus Cracouienſis, vir multis artibus & in primis Medica clarus, morbo correptus diem obiit, & is primus Polonorũ annales Latino ſermone typis diuulgari curauit: ſcripſit & de Sarmatia vtraque. Anno eodem Fridericus Daniæ, & Guſtauus Sueciæ, Reges, tum Pomeraniæ ac Mekielburgi Principes legatos ad Sigiſmundum miſêre, vti pro communi Chriſtianitatis quiete, paci confectæ ſocietatem adiiciat, quam illi inter ſe Chriſtierno extruſo, & regnis ſalubri temperie & particione occupatis firmarunt. Quibus ille. *ſe non eo ingenio, nec tam inhumanum eſſe vt ſi quis pacem à ſe petat vel in ſocietatem trahat, eum reiiciat aut aſpernetur, præſertim in tam miſeris atque afflictis temporibus, quibus nulla pars Europæ quieta aut concordãs. & quibus amici non alienandi ſed noui adiungẽdi vi-*

di viderentur, immaniſsimo Chriſtiani nominis hoſte Turca, extremum etiam ſeptentrionem inuadere parante. Igitur vbi de pacis conditionibus ſatis conuenit, legati cum bona regis venia Dantiſcum ad litora maris Baltici deducti, patrias in ſedes remeauêre. Paucis poſtea diebus & iam ſub initium brumę, Sigiſmundus Andream Tęcynium Palatinum Cracouienſem, Ludouici rogatu in Bohemiam ad componendos ciuiles motus proficiſci iuſſit, & mercatoribus permiſit, vti Vratiſlauiæ liberè negotientur, quibus olim facultas adeundi denegata, ingentem ciuitati labem atque perniciem, tum publicæ tum priuatim attulerat, quod non modo in eius regno vnde maximos fructus percipere ſolent, commeandi libertas non eſſet, ſed etiam in cæteras ſodalium prouincias traiiciendi, verum edicto ſublato vrbs illa iterum refloruit & multo celebrior euaſit, à Polonis etiam rurſus cæptum eſt Viennam & in Bohemiam mercium cauſa itari. Æſtate quæ ſecuta eſt, Turcarum

rum duodecim millia, cum quibus & Scytharum quatuor coniuncta erant per Podoliam excursione facta, complura opida & innumeros pagos populabundi exussère, Crasilouiamque ciuitatem naturâ & opere munitam obsedêre, sed pluribus suis amissis in fugam cõpulsi sunt. Quo Sigismundus audito confestim ad arma nobilitatem conuocat, currus, machinas, & instrumenta bellica comparat, Nicolao militiæ duce cum veterano præmisso, cui primates & vrbiũ etiam dynastæ cum suis se iungunt. Hunc vt venientem Turcæ animaduerterunt, tentatis irrito in oppugnatione omnibus, ne à tergo adorirentur Rohatinum quâ venerant, retroduxêre agmen; quibus cum ab oppidanis denegaretur captiuus quidam, ingenti impetu perfringere munitiones seq; infere vallo nisi, ferro flammaq; minitantur & lacessunt, circumgrediuntur, ruunt: iamque aliquanto magis oppidani laborabant, cum Turcæ comparatis, sulphurei pulueris sacculis, in munitiones æstu siccatas

catas ignem immitterent, & regios oppido pulſos, in templum compellerent, ſed Seniauij opera, ingenti ſuorum cum damno, extemplò ſunt repulſi, qui continuè pugnantes obiens, nunc hos nunc illos in prælium acuebat, & feſſis recentes ſummittebat. hi autem egregiè nauata opera, minoribus bombardis atque ſagittis, ſubeuntes barbaros in latera feriebant. plebs etiam è tectis lapidũ deiectu atque omniſariam telis petebat. Non deſtiterunt etiam qui & à rege mittebantur, cæptumq́; iter velocius perſecuti poſtremum agmen à tergo aggrediuntur, & turbant, ſternunt, atq́; in fugam effuſam conuertunt. Et Ioannes Tarnauius propero agmine per montes profectus, vallis cuiuſdam fauces cum exercitu inſedit, tum à Komarno, reliquias diſſipatorum redeuntes, ſtrenuo impetu excepit, & quidem primò parùm feliciter, ſed mox aliter: & non vincit ſolum Turcam, ſed cædit. Transfugas enim Danubium ſuperantes Valachi conſectati, plerisque vulneratis
reliquos

reliquos omnes cepere: nec quisquam eorum superstes euasisset, ni itinere defatigatis militibus Valachus receptui cani iussisset; Et quamuis paruæ omnino vires à Sigismundo paratæ essent quibus tantus barbarorum exercitus remorari posset, magis tamen fortuna quam virtute decertatum, & audacia quam robore, victoria obtenta erat. Haud multo post Aslam Sultanus Ducis Perecopensis frater quadraginta barbarorum millibus succinctus, per Pocutiam & Podoliam Nestro transgresso & nullo obsistente vagatus, Leopolim vsque deuenit, & suburbio combusto in ipsius vrbis oppugnatione cõplures dies frustra absumpsit, tum leuiter aliquoties præliatus, ad oppidum Mosciska concessit, castra in loco tuto posuit, & regionem totam tumultu ac terrore compleuit. Sigismũdus qui per id temporis Cracouiæ agebat, nec eas copias habebat, quibus posset tam celeriter & tam numeroso barbarorum exercitui obsistere, confestim ipse Sendomiriam diuertens,

cum

cum ad alios passim, tum maximè ad Senatores literis datis, ad Nicolaum Firleium copiarũ ducem misit, vti quas maximè posset vires, vbique & vndique colligeret, ac ad se permitteret, quibus minoris Poloniæ nobilitatem adiungere decreuit. Et coacta raptim aliqua equitum manu, Leopolim hosti terrori proficiscitur ipse & vt fiduciam libertatemq́ue populandi adimeret: sed pagani non expectato illius aduentu, citatò agmine cum præda ingenti retroierunt, & magis fugæ similis profectio eorum erat. Sigismundus autem cum ad Leopolim assequi barbarum non posset, ipse sibi obiratus & solicitus, conuerso itinere Cracouiam redijt, Optimates autem hostem palantem consectari, absq; conctatione iussit. Quod dum faciunt, præsidiarius Pruchnicensis arcis, summo pugnandi ardore incensus, aggreditur prætereuntem barbarorum turbam, quorum illi paucitate despecta circumueniunt terga, & flagris non armis cęsos, ad vnum capere volunt,

cæterúm in tempore affuêre, missæ recentes à rege cohortes, qui pugna implicitum hostem, à tergo inuadunt, trucidant, turbant, & in fugam effusam consternunt, mancipiorum multis millibus receptis. Inter cæsorum corpora fæminæ virili ornatæ habitu, plurimæ repertæ, quæ Amazonum more pharetra & gladio succinctæ, capitaq́; rosa habentes militabant. Iisdem diebus Albertus Pruthenæ religionis Magister, quo à belli curris & nimbis securus esset, in Panno-niam Profectus, apud Ludouicum curabat, vt opera sua inducias, quas quadrigennales dederat Sigismundus, protraheret & tributum eleuaret; sed cum non impetrasset, imò nec amicè reciperetur (purpuratorum enim nullus ad eius adspectum aut in curiam ingressum, subblandientes Sigismundo, honoris ergo consurrexit) Regiomontem, animo perturbatus reuertitur, & deiecto per summum scelus monachali habitu, nouam (& nec colore vllo veri tinctam) Luteri hæresim amplectitur, qua infectus ipse,
non

non ſodales modo pronos aut iam præparatos, ſed magnam etiam aut maximam Pruſsiæ partem, his non vanitatibus ſed ſtuporibus etiam oppreſſit, à quibus contigui mox Liuones, Caſſubæ, Pomerani, & plurimum Curlandiæ dogmata morum & ſacri huius nebulonis accepêre; ſed & intra Poloniam ipſam exoticis moribus aut erroribus imbuti, hodie etiam deliria hæc delirant multi. Anno quoq; eodem à Stephano Valachiæ & Barmino Pomeraniæ, Principibus, legati venêre; miſerat ille amicitiam ac fœdus memoraturos, & cupere oratoribus, itum tutum in Moſcouiam ac reditum: iſte, ad nuptias Regem honoris gratiæ inuitaturos & petere pro veteri amicitia & conſanguinitate contra Ioachimum Brandeburgi Margrauium auxilia. Cum priore fœdus renouatum, ſed miſſio in Moſcouiam denegata, poſteriori auxiliâ promiſſâ & legatus ad condecorandâ nuptiarũ ſolemnia datus. Vere nouo appetenti ingens tumultus & rebellio Dantiſci orta, cum magi-

ſtratus prauæ & nouæ Religionis titulo populum cōcitatum, demulcire nullo pacto potuiſſet; quinimo conſules ipſi poteſtatis infulas (dū excitati aduigilant) depònere coguntur, in locum quorum noui è coniuratorum turba ſubſtituti, templa, altaria, ſacerdotes, prophanarūt, ſpoliarunt, oppreſſerunt, & nec corpora ſolum, ſed & animos: clamorq́; ac ira, paſſim in catholicos & veros Religionis cultores, Tandem rerum & voti potiti, nuncios literaſq́; ad Regem mittunt, fidem promittunt, & nouam religionem approbant, aut Scripturis cōmendant. Re Sigiſmundus audita mirari & excitari; Et ne per religionem aut rebellionem Alberto iuncti, cæteros è mari remotiores in belli ſocietatem trahant, cum decore ac modeſtia reſpondit, & legatis præſentibus, quam indignationem animo conceperat, diſſimulanter tulit. Albertus enim cum cupidine agitaretur nouarum opum & imperij, patrimonijs vt dicunt Chriſti & Eccleſiæ in ſe conuerſis, hanc religionem nouam & ambitio-

bitioni ſuæ oportunam, omni ope tuebatur & in populis promouebat, Iam autem Gedanenſium auxilijs atq; opibus ſuffultus, per titulum religionis (quæ licet indecora & futilis ſit, mirã tamen & firmam vim retinet in ſe, vt ſemel animis impreſſa genere & ſolo diuerſis vinculum atq; firmamentum præbeat) quas turbas non daret? Idcirco nullum tempus peſtiferis conſilijs eius exequendis aptius exiſtimans, quæ Gedani accidêre, quanquam acerba, tolerabantur tamen; cum ecce Albertus, Henrici Ligniciæ & Georgii Brandeburgi Principum ſuadâ, tum quod & ſubditos in regem inclinantes cerneret, ſe cum arcibus & populis in Regis fidẽ permiſſit; cum lege, vt eum Regiomontis Principem faciat appelletq́ue de inſtituto Pruſſiæ Ducem, ſed & iura omnia libera ſibi, liberiſq́ue aut ſucceſſoribus (nam & vxörem apoſtata duxerat) dominanda tradat, quoad de ſtirpe hæredes promanabunt; Facilè, etſi iniquè impetrat & Sigiſmundus ad ſe venientem amplexus, in-
 colu-

columem ducemq; gratatur; tandem benignè affatus, monet, vt fidei & consanguinitatis memor quieta atque honesta consilia, peruersis ac parum decentibus anteponeret, inprimis autē constans in orthodoxa religione permaneret. In Circo dein Cracouiensi suggestu conspicuus, de more Polonorum regum in verba iuratum, & vexillo donatum, ingenti omnium assensu Prussiæ Ducem, per Cancellarium pronunciat. ac tandem aliquantum mutuis ac gratis extractum sermonibus in sua dimittit. Et sic per eum recusatum diu & excussum aliquoties iugum, Regiomontana Prussia vltimo (& vtinam supremo) accepit. Hæc vbi Dantisci vulgata sunt, turbatores qui Alberto clam fauebant ingens metus inuasit, atq; à proposito abscedere quietos coegit, quia quem tutorem & ancoram suæ factionis sperabant, eum breui mutatum, adherentem & amicum regium cognouerunt. Quare è Senatu nouo cum muneribus mittūt, qui apud regem factū excusent & religione laudata

data iram illius oratione mitigẽt: Eos ille vt humaniter excepit, ita datis mitibus responsis benignè dimisit. Et vix hisce absolutis, alij abrogati Senatus, accedunt; qui rem denarrant, eius ordinem & scelus turbatorũ totum, cuius simul illum ipsum iudicẽ & vindicem poscunt. Tum Rex re cum primatibus collata, differt in suum aduẽtum, & vultu atq; animo composito profatur *Vos vicem meam vt cœpistis functuri in vrbem vestram redite, & obseruate ne quid incommodi ciuitas in curia vestra patiatur. Nam reduci mihi, si Deus annuit, stat hanc causam cognoscere, vt ditionis nostræ populi, communi tandem & exoptata quiete, perfrui possint; maximè autem omnium mihi gloriosum existimabam exhaustam & attonsam continuo cladium isto ferro Prussiam, altissima pace condecorare, atq; tot calamitatibus defessæ vbi vestræ requiem dare.* Hoc autem fecit eo consilio, vt his reuersis turbidos rebellantium animos, à belli consilijs ad pacem retraheret, nam mouerat & pænè perculserat cum ostentum siue prognosticum futuræ

turæ turbæ, tertio nonas Februarij viſum, cum quinque ſoles hora diei quarta, in medio cælo diſtincti conſpicerentur. Per eoſdem dies legati Pontificis maximi (Clemens ſeptimus is erat) mitram Sigiſmundo præcioſiſſimis vnionibus diſtinctam & gladium benedictum obtulerant; qui præſtantia facinorum eius attonitus, æquū eſſe exiſtimauit, mittere qui ei ſuo nomine de pace ac victorijs congratularentur & benedicerent. In Scythia verò Perecopenſes, ſuo Setkireio vt imbelli (quod in Turcia educatus mitis ingenio, minus ferocitatis haberet) & parum felici expulſo, Oſlamſultanum fratrem ſubſtituêre, ſed Turca virium & ingenij illius gnarus, tertium fratrem Sedetkireium ignauum & altioris cogitationis non ſuſpectum præponendum putauit. Quod vbi Oſlamſultanus ſenſit, & monitus eſt, ad Sigiſmundum noſtrum confugere decreuit & rogauit, vt, ſi aliqua à Turcis procella immineret, licere ſibi ad Boryſthenem cum ſeptingentis millibus caſtra ſecurè metiri; & fra-

& fratrem cum exercitu inimico ſub ſuis auſpicijs præſtolari, quoq; ab eo promptiùs atq; enixiùs adiuuaretur, ſeſe totum in eius fidem & tutelam dedit, & vt amicos eoſdem atq; inimicos vterque haberet in filium adoptari poſtulauit. Annuit Sigiſmundus, & ille fratri nihil indultum velle, arma & manus ſuorum ſpectare & implorare aduerſus Turcas; ſed primo hunc, impedimento futurum, è medio vult ſublatum, ne militibus aut populo miſceatur, capteturue aut captet, qui elapſus, ad Turcicum Principem confugit, & bello ſeſe itidē accingit. Sigiſmundus autem tempeſtate ea Carolum V. Imperatorem, cum Franciſco Galliarum Rege conciliare ſtuduit, vtriuſque gratiam promereri cupiens, & volens concordia illorum, magnum illum & infeſtum Chriſtianis Soleimanum à bello Hungarico deterrere, atque illi ſeſe cum reliquis, pro religione opponere, quos per legatos magnopere animabat & hortabatur; ſed fruſtra id ſurdis occinebatur. Imperator autem

probitate Sigiſmundi delectatus; torquem ei precioſi operis, cum inſigni Aurei velleris miſit, grati animi ſymbolum declarare volens. Anni huius exitu Sigiſmundus comitijs Petricouię celebratis, in Pruſſiam Dantiſcum profectus, vt ad vndecimum Kal. Mart. Margæburgæ ſubſtitit, accepit Ioannem vltimum Maſouiæ Ducem, veneno à ſubditis eſſe ſublatum, poſt cuius deceſſum Maſouiæ ducatus, qui ſeorſim diu luxit ſplenduitque velut radius rediit ad ſuum ſolem Poloniam, cuius res Sigiſmundus agẽs, Margæburgæ aliquantum moratus; donec Gedanenſium, qui in nonnullam de eo ſuſpicionem venerant, in ſe animum exploraret, idq́; ſuaſu Philippi Biſchow ciuis Vrbis, & Regiæ maieſtatis obſeruantiſſimi, qui ingenium operamq́; ad coercendum offerebat: & Rex in magnis quibuſque rebus vtebatur. Et quoniam vt diximus ſuſpicio ciues Gedanenſes ceperat, ne eo animo aduentaret, vt eorum ſtatum atque opes imminueret, de qua quidem re ingens rumor ob va

nas &

nas & falſas quorundam epiſtolas vulgo incre-
buerat, diſpoſitis illi, per opportuna quæq; lo-
ca tormentis, clauſtra ſeu fores portarum reſe-
rarunt, & diſiecerunt, vt mutuo ſeſe periculi
tempore, vrbes muris diſtinctæ iuuarent; Sicq;
ad certamen aut tuitionem potiùs neceſſarijs
præparatis, aduentum regis præſtolabantur, ac
præmiſſis qui poſt gratatum ei in Pruſſiam ad-
uentum, ipſum in vrbem ſuppliciter accerſerēt.
Sed antequā ille ingrederetur ipſe, primò Chri-
ſtophorum Sydlouecium, Andream Tęczyni-
um, & Lucam de Gorka inſigniores ſatrapas,
cum aliquot militum turmis immiſit, vt quæ-
nam eorum eſſet mens diligenter ſcrutarentur,
& hortarētur ciues conſtanti animo in fide Po-
lonorum Regum perſiſtere, eorumq́ue gratias
promereri, quam inimicitias experiri. Ac tum
primùm conſcij ſeriò trepidare & muſſitare,
quo vultu aut verbis Dominum exciperent du-
bij; cum iam in Vrbe præmiſſorum tot cohor-
tes eſſent, quot ante Regis ipſius aduentum ad

vrbem excindēdam, aut affligendam facilè sufficerent. Sed eleuarunt immißi optimates, feruidá & ad rem apposita oratione, *quod iudicium aut animum cum fortuna non mutarent, Teuti tentamēta reicerent, rebelles refrenarēt, & cunctis hostibus Regijs sese fortiter opponerent. Quâ ipsa tali in populum Polonū propēsione, obedire Clementißimo Regi, & consentientes esse, nunc quoq; & debere, & decere, qui cum cæteris prouincijs & subditis, tum maximè huic, atq; Vrbi vestræ, tot procellarum malis attritæ & afflictæ desideratißimam quietem exoptat.* Erecti itaq; & offirmati à cōcione omnia ad magnificentiā ingressus pertinentia, quæsitissimis honoribus instruxerant, plateas aulæis, tabulis, frondibus, sese quisque vestibus exornauerant, & quæ tanto hospiti conueniebant diligenti cura parauerant; Legatos etiam iterum, (inter quos & Ioannes Scholc Luteranæ factionis primarius, erat) misêre oratum, vt de more Regum Polonorum subditam & fidelem vrbem inuisere velit.

Fecit

Fecit Sigiſmundus, & legatis benignè dimiſſis, Tſczouo protinus mouit, aliquot hominum millia in ſuo aulico comitatu trahens: & vrbem ingreſſus, iubet fores portarum cardinibus ſuis adfigi aut reparare, tormenta per muros diſpoſita ſeruare & claues vrbis ad ſe deferre. quod cũ nõ præſtitiſſent, in iram ſerio datus, ſeniores & primarios in domum prætoriam conuocat, & perconctatum Petrum Kmitam regni Marſalcum mittit, qui indicto ſilentio multa de regũ præcipua virtute clementia, & Sigiſmundi comitate præfatus, finem orationis hiſce rogationibus fecit. *Eſtisne ô Gedanenſes ſacramenti Regibus & populo Polono præſtiti memores? ſuntne à vobis officiorum munia regi, veſtro debita exhibita?* Et *retinetne in vrbe veſtra pax atq; iuſtitia ſuum vigorem?* & mox ab omnibus acclamatum. *Factum & præſtitum quidquid à fidelibus ſubditis debitum erat, facieturque pro illius honore & maieſtate quodcunque fieri mandauerit.* Tum ille adhæreſcentes Regi in

 dex-

dextram ſecedere iubet, aduerſantes in parte leua manere, ſed pauci manſêre, futura enim volutantes dextram appetunt plerique: quos Marſalcus fidem ſtipulatos & collaudatos à concione dimiſit. Et interim Albertus Pruſſiæ & Barminus Pomeraniæ, Principes, & vterque ex ſororibus nepotes, grandi comitatu, ſalutandi gratia, ad Sigiſmundum acceſſêre, quibus pro more amiciſſimè exceptis, obſonia & diuerſoria regali & ſueta magnificentia præbere imperata. Primatibus dein Pruſſiæ nonnullis aduocatis Rex ipſe pro tribunali ſedet, & Magiſtratũ vrbis, abdicatæ poteſtatis inſignia reſumere, atque rerum nouatores criminis poſtulare iubet, Ac primò accuſatur ex cõpoſito Ioãnes Scholc, totius factionis aut mutationis auctor, & noui illius Senatus Præſes, qui quietis rebus notarius publicus erat: hunc Rex monſtratum audit, & indignatur & dolet, hoc in ſuo ſolo & ex infima plebe quenquam auſum, quod toti Prouinciæ arduum videretur. at ille animoſè loquitur, ſe

excu

excuſat, vulgum, cuius conſenſu aut iuſſu factũ, accuſat, & Deum teſtem ſuper fide dictorum inuocat. Tunc Philippus è medio magiſtratus: *Heus tu vir bone, quis primum conſcenſa in templo cathedra dogma ſeu veriùs hæreſim Luteri promulgauit? quis ſacra & altaria templorum ornamentis ſpoliauit? quis renuenti vulgo gladios, rotas, & furcas in medio foro terrori propoſuit, aut Senatum vrbis immutauit? Hæc tu flagitia in alium verte, & non abſolutus modo ſed collaudatus etiam inde abibis.* Damnatus rubere ad iſta & ſtupere. Rex autẽ *Ad querelas quas ſuper te defert: quid agis? & refellis?* Vacillat, perplexè loquitur, negat aliquid & annuit id quæ iterum vulgi conſenſu; qui in Circo reclamant ingenti voce. *Nos inſcij turbarum, iuſſa tantum obedire parati, ille ipſe peccauit praua & priuata ambitione ſua* quo Sigiſmundus audito, & ex vultu ipſo ac ſermone culpam ſuſpicatus, virum cum aliis XIII. capitis damnat, reliquos verò patria pellit ac grandi pecunia mulctat.

ctat. Tum ornamenta & instrumenta sacrorum conferre, altaria erigere, sacerdotesq́; diuina munia obire protinus iubet. Et sacris Deo O. M. rite decantatis, nauim cum illis ipsis principibus conscendit, littus maris pernauigaturus, cuius oram vniuersam, cum vrbe Lemburgensi, Georgio Stolpēsium Duci nepoti donat, reddituram mare in successoribus deficiente. Rebus itaque Gedanensium Sigismundus compositis, adeò Borussos terruit & quietes conticuit, vt nec verbo diu refragari ausint: ipse autem sub medium æstatis Varsauiam metropolim Masouiæ moturus, (quæ sibi post Ioannis exitium iure Caduco acciderat) Magistratum & omnes Gedanensium honestiores ad se vocat, ad pacem & quieta consilia hortatur, & immunes suisq; legibus viuere permittit. Inde in Cuiauiam & paulo post in Masouiam perrexit, atq; pro ea amicitia, quæ illi cum Ioanne fuerat, & pro officio, quod suæ ditionis populi sibi euenirent, magnificentissimo funere ei iusta per-

sta persoluit, receptoque à nobilitate & optimatibus fidelitatis iuramenro, sub autumni finem Cracouiam rediit, in magna salutantium & congratulantium turba. Quo tempore Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ Rex ad Mohatium grādi prælio à Solcimanno superatus occubuit, in palude equo super eum corruente suffocatus, cui Sigismundus mille quingentos equites cum Leonardo Gnoinio, pro tempore auxilio miserat, maiores mox submissurus copias, cæterùm Soleimannus Sigismundo obiratus, quod æstate superiore non contemnendum Ludouico equitatum miserat, Tartaros in Podoliam immisit, vt statum Sigismundi Roxolanos vexando perturbarent, ne à belli curis vacuus Ludouico suppetiatum (vt per legatum Dantisci orauit) veniret: Et effecit, quod qui Ludouico subsidio missi fuerant, coacti sunt cum Tartaris in Podolia decertare. Gnoinius verò vt in castra ad Ludouicum venit, & mandata Sigismundi exposuit (quibus eum ad pacem &

mitiora consilia hortabatur) statim exercitum illius & hostium speculatus; suasit, ne tot seculis partam Pannonum gloriam, vnico die & prælio, ipse indiscrimen adducere velit, sed vagis primum procursationibus euentum probaret, tum quot diligentius adhuc hostium castra & loca exploranda videbantur, tum quod fessos continuatis itineribus milites recreari oportebat, nec enim visum illi erat dimicare eo die & loco, qui à puero militaribus disciplinis instructus præuidebat cruentissimum, & atrox futurum prælium, quia & sui nondum conuenissent, & Pannones ipsi discordes, fatali æmulatione inter se certarent. idque adeò exasperatis aut pertinacibus odiis, vt vix ad manus inter se relictis hostibus non venirēt. quæ res etiam victoriam parti illi dedit. Cumque iam vniuersi certaminis fortunam subituri castra in conspectu hostium posuissent, iterum Gnoinius Regem indignabundus adiit, & monuit patrui sui nomine, ne copiam pugnæ cum tantis

rantis hostium viribus in aperto faceret, sed intra munitiones castrorum sese ad tempus certum cõtineret, donec Ioannes Veidanus, quem propè iam esse, cum decem Transyluanorum millibus dicebant, castra sibi coniungeret, & Constantinus à Sigismundo, cæterique auxiliares Polonorum Palatini cum suis turmis aduenirent. Sed Pannones facta maiorum faciliùs quam sua ostentans, iuuenis regis animos pietatis specie attollunt, & aciem pro castris pertinaciter instruunt, tanquam vno obtutu cuncta debellaturi, cum tamen victoria non in hominum virtute, sed in Dei consilio & moderatione cõsistat. Et pugna cõmissa Gnoinius promptús inter tella occursat fugientibus Hungaris, increpat signiferos, & monet cum pauculis Polonis honestè pro patria & religione mori: neq; sic hortando aut præhensando fugientes prælium omisit, donec caput tormento ictus, seu à Turca decollatus (sic plures volunt) caderet; Cadauer eius à Polonis cognitum honesto &

militari more inibi ſepultum eſt. Tartarorum autem ſex & viginti millia ſub tempus idem, excurſione per Podoliā & vicinas Prouincias (volebant enim iuſſu Soleimanni aditus in Hungariam Conſtantino præcludere, aut impedire ad tempus, donec illic debellatum foret) facta, magno cum terrore incolarum, prædabundi vagabantur, donec Conſtantinus cum copiis appareret obuius, qui vbi primum hoſtem aduenisſe accepit, mox conuocatis in campum qua iturus erat veteranis, citato gradu palantes perſequitur, & hyemante nocte qua nix multa ceciderat, veſtigijs vniuerſi exercitus depræhenſis improuiſus ad Caniouiam aſſequitur, tantáque celeritate aut impetu adoritur, vt ad capienda arma ſpacium non ſufficeret eis, Pauci qui pro ſtatione inſtructi erant, illius impetum exceperunt, ſed in his perrumpendis nihil contatum, quos illico circumfudit eques, illis etiam qui in caſtris erant equorum vſus vel nullus, vel exiguus erat, terrore enim & tumultu completi, ſine

ti, ſine ordine, ſine imperio, prout cuique ratio vel animus ſuppetebat, diſcurrebant. Et Barbarus ipſe conſcenſo celeri equo, nunc ſingulos, nunc vniuerſos, adire, hortari, rogare, ne tantam ſibi contumeliam in caſtris inferri paterentur, aut turbarentur, ſed ſuſtinerent, & bono aut forti animo tantiſper ferrent, donec arma totis expedirentur caſtris. His erecti aut excitati illi, nec viribus, nec animis primò cedunt, licet plurimi pedes agant, & fortiſſimum quemq; extemplò inſtanti regio opponunt, atque inconditam multitudinem cogunt. Et iam variante fortuna regios premere cæperāt, cum Conſtantinus cladem Sokalienſem vlciſci paratus, ſtrenuum quemque ac fortem, vbi magis opportunum videbatur adeſſe imperat, & ipſe nunc hos nunc illos, priſtinæ virtutis admonendo, ante ora ſuorum ſtricto gladio volitat, ductoreſq́; turmarum ipſi, militum animos confirmare & excitare, ſpe, præmijs, gloria, non deſiſtebant. Et dum neutri cedere volunt, Con-


ſtantinus facto cuneo ſuorum, quos ad belli difficillima parauerat, qua magis pugnam conſertam videbat illatus, ſcindit protinus agmen, equiſque maximè vulnera ingerit, quorum pectoribus obteriti pedites in fugam conſternantur omnes. Horum phalangem magnam, præſidiarius ex arce Skokowka egreſſus, circumuenerat ante, & audacius exultantē ſtrenuo congreſſu diſiecerat totam. Et ſic Conſtantinus cladem olim ſuorum vltus in eis, prędam omnigenâm, atque in ea quadraginta Chriſtianorum ſexus vtriusque millia recepit, quibus dimiſſis, Cracouiam cum ſociis expeditionis victor conceſſit, & equo veterum more vrbem inter principes viros inuectus; Septuaginta inſigniores barbarorum & ſigna omnia capta Sigiſmundo obtulit; tum comites laborum magnificis verbis collaudatos regiæ liberalitati cōmendauit: quos Rex illius ipſius arbitratu mox publice & priuatim proſequitur, ornat, cohoneſtat, priuilegiis, beneficiis & equeſtri prærogatiua.

gatiuâ. Ac ipſe domi pace partâ, Moſcouitisq́; ſexennalibus induciis conceſſis, opibus & fama inſignis, prudentiſſimè ac fortiſſimè adminiſtrat.

SIMONIS STAROVOLSCII

DE REBVS SIGISMVNDI PRIMI, REGIS POLONIARVM INVICTISSIMI, virtute & auſpicio geſtis.

LIBER QVARTVS.



REgni ſtatu cōpoſito, & quiete incolis bello feſſis reddita, Sigiſmundus ad pacis curas conuerſus, factionibus, latrocinijs infeſtum regnum purgauit & pacauit, quoq; magis felicitas regni & ſtatuum, tam interna quam externa refloreſcat,

ſcat, ipſe de cõmuni tunc more crebro ius dixit, ſed & iuſtitiam reſtituit, potentiorum iniurijs exſulantem. Et tunc mercatura quam bellum Pruthenicum ſuſtulerat, aduenarum concurſu atq; cõmertio Dantiſci præcipuè in vſum reu cari cœperat, & Podoliæ qui arua colere cõſu uerant, barbaris clade inſigni adfectis ſeu afi ctis, ſeſe ad agrorum culturã contulerant, qu cum Perecopenſes exercitu paucis diebus reſ tuto ſub ipſum ver vexare excurrunt, à Iazłouecio & Skriccio Ductoribus regijs ad Cameneciam ſuperantur, mille in acie amiſſis, quo irritati cum ſe intra meſſium dies, contiguos agros hoſtiliter populaturos ſignificarẽt, Oſtaphianus Circaſſorum Pręfectus, conatus illorum fruſtrari volens, cum Prædiſlao Lanckoronio, coactis aliquot dilectorum turmis, propero gradu in Scythiam militatum iuerunt, & magno animo ad ipſas Oczakouiæ portas, ter feliciter præliati, triginta pecorum millia cum quingentis equis auexerunt, inultis populationibus autumno conſu-

consupto. Sigismundus verò initio insequentis anni, qui fuit millesimus quingentesimus vigesimus nonus ab ortu Christi seruatoris nostri conuentu Petricouiæ absoluto, in Lituaniam profectus, cum ex subita humorum commotione, febrim acerbissimam (& vix se medicorum fomentis ad interiora recepit) pateretur. Iazłouecius, Seniauius, & Latalscius, qui Podoliam præsidio curabant ductores, sumptis mille lectis equitibus vt & anno superiore in Scythiam prædatum iuerant, cæsisque aut dissipatis aliquot barbarorum turmis, Oczakouiam versus concesserant, quam eo tempore Oslamsulsus concesserant, quam eo tempore Oslamsultanus, certis conditionibus cum fratre depactus, imperio regebat. Hic itaque vrbe egressus & ecquid milites essent? percontatus, hæc sibi à Polonis & Sigismundo cuius sese fidei & tuitioni commiserat, euenire indignabatur. Illi quoque mirati (nam priore æstate eam vrbem Sedetkirei huic infestus curabat) & regis, cuius cliens & Filius erat, nomine audito territi, positis pro-

tis protinus armis atq; restituta præda, colloquium cum eo instituerunt & factum insciciâ factum excusarunt. Dedit veniam ille, & amicitiæ renouandæ causa in vrbem excipere curauit, sed renuentibus aut dolum suspectantibus reliquis, solus Iazłouecius intrepide iuit & gentico more in fidem reconciliationis plenioris cum illo conuiuabatur. Verumenimuerò incondita plebes, & gregarij quique nihil pensi habentes, his qui Iazłouecium extra vrbem expectabant, omne maleficium inferre, incursare, sclopetis & sagittis ferire, vnde atrox pugna, varia, & cruenta, barbaris ad certamen diuersis è locis turmatim concurrentibus, atq; vlcisci clades suorum adnitentibus, Polonis autem in arcto, salutem ex victoria quærentibus. At Oslamsultanus, audito rem parum bona fide cum Polonis gestam, ingenuo pudore perfusus, ad reprimēdum tumultum protinus aduolat ipse, & monet, rogat, hortatur: furentibusq́ue magis, arma commotus in suos capit, Sed cum occisis

cisis aliquot, rabiem delinire haud potuisset, è turba tumultuantium secessit, nam illi vix retēti sunt, quin manibus ipsum violarent, & clamor, ira, concursus vndique in nostros: non inscicia miserorum, non tot recentium cladium recordatio, non imperium ducis, qui ipsus ad sedandum & deprecandum venerat: nihil inquam horum iuuit quin regij in multos defatigati sese, in fugā quam laxissimis habenis dederint, & Latalscius è ductoribus vnus in cōflictu caperetur, olim à fratre Ioanne Posnaniensium antistite, grādi pecunia liberatus, Iazłouecium verò, & captiuos reliquos, quos statim conquiri iussit Oslamsultanus, vt in regem & Polonos fidem suam testaretur, neq; se gnaro tumultuari monstraret, protinùs ad penates suos remisit. Paucis dehinc post mensibus, Lituaniæ primores Sigismundum Augustum, patre Sigismundo comprobante & præsente Ducem sibi crearūt; Sed nec Poloni sunt aduersati, quin in comitiis sub finem autumni Petricouiæ indictis roga-

runt vel rogati concesserunt, vt sceptra regni patre viuo cum Deo bono acciperet, & hęres certus in libera electione succederet. Ad quem Andream Cricium Plocensem, Ioannem Karnkouium Præmislienſem, *Episcopos*, Otthonem à Chodecz Sendomiriẽsem, Nicolaum Koscielecium Calissiienſem, *Palatinos*, Ioannem Kościelecium Łęczycienſem, Ioannem Tęczynium Lublinenſem, Stanislaum de Sproua, Biecenſem, Nicolaum Rusoccium Biechouienſem, Spitkum de Tarnow Zarnouienſem, Petrum Opalinium Lendenſem, *Castellanos*, Cracouiam concordes mittunt, Regem pronunciant & diem; quæ anno insequenti obuenit. Eò & Sigismundus conuentu dimisso lætus ac promptus mouit, parandi gratia quæ futuræ coronationi necessaria videbantur. Ac demum die pręscripta, AVGVSTVS (annos decem natus) cõsecratus, inunctus, & coronatus, REX POLONIAE, à Ioanne Lascio Præsule Gnesnensi: astantibus incoram parentum regni proceribus ac regu-

regulis. Poſtea die quæ ſecuta eſt, regali habitu ornatus multis bello & pace claris viris, ac in iis Alberto Pruſſiæ Duce & Vilhelmo Margrauio comitantibus, equo inſigni per vrbem inceſſit, & ſellam in Circo magnifice præparatam inſcē-dit, claues portarum & fidem à ciuibus recepturus; vbi & hominum de ſe benè meritorum, aut quorum forti ac fideli opera pater in bellis vſus fuerat, habendam rationem ratus, ſingulos honoribus; præmiis, & priuilegiis, vt regem decuit affecit, & die in veſperam inclinante lætis fauſta precantium vocibus, vrbem iterum prætervectus, ſe in regiam recepit; ad quem Regū, ciuitatum, nationumque legati gratulandi gratia per multos dies frequentes ventitabant. Sigiſmundus autem rebus ex animo domi compoſitis, vicinorum etiam turbas ſedare inſtituit, quæ poſt Ludouici exitium inter Ioannem Veidanum Hungariæ, Ferdinandum Bochemiæ *reges*, & Carolum Imperatorem de regno Pannonum gliſcebant, Et ob eam rem Ioannem

Opalinium Secretarium ad illum, Ioannem vero Dantiſcum præter iuris ſcientiam ad quæuis magna natum & in omnibus conſultiſſimū) ad iſtos miſit, vt honeſtis conditionibus datis & acceptis, communem pacem non aſpernarentur. Quòd cum Ferdinando vehementer placuiſſet, cupienti Hungariam diu bellis agitatam aliquando quieſcere, miſſurum ſe breui legatos in Poloniam, reſpondit, qui res communes ſuo nomine agerent, ſiue pacem, ſiue inducias facere Ioannes velit. qui itidem Hungariæ pacem, atque commune otium à ſe magnopere expeti, coram legato, & per legatum declarauit. Igitur autumno appetente miſſi in id à Sigiſmundo, Ioannes Latalſcius Poſnanienſis, Andreas Cricius Płocenſis, *Epiſcopi.* Petrus Kmita Cracouienſis, Ioannes Tarnauius Roxolanus, *Palatini.* Lucas de Gorka Poſnanienſis, *Caſtellanus.* & Ioannes Choienski, Archidiaconus Cracouienſis. à Ferdinando, Iacobus Wratiſlauienſium Præſul. Sigiſmundus Herberſtein,

& Bea-

& Beatus Vidman. à Ioanne autem, Franciſcus Archiepiſcopus Colocenſis, Ioannes Laſcius, Stephanus Verbert Pānoniæ Cancellarius, Hieronymus Laſcius Siradiæ & Tranſyluaniæ Palatinus, Franciſcus Drugeths, & Andreas Homonai Strigonenſis Præpoſitus, Poſnaniæ conueniunt, præſident & arbitrantur, ſed fruſtra per multos dies: nihilq́; poſt tantam volutationem decretum, præter inducias annuas & affinitatem Sigiſmundi, qua Elizabet Ferdinandi filia Auguſto deſponſata, futurum pignus ſecuræ pacis ferebat. Etenim Ioannes ad Tocacium à Catianero cæſus, regnoq́; toto à Ferdinando expulſus, cum diu Camenecię & Tarnouiæ in Polonia ageret, à Ioanne Tarnouio copiarum regni Campeſtri præfecto exceptus, ſuaſu Hieronimi Laſcii ad Imperatorem Turcicum confugit, & grandi exercitu adiutus, Budam recepit, expulſo Ferdinandi pręſidio, Tranſyluaniam verò Laſcio conceſſit, cuius opera indies, maiora auxilia Turcarum ſperabat, & ideo pacem Ferdinan-

dinandi, niſi tota Hungaria ceſſiſſet, aſpernabatur. qui tot partum victorijs regnum, etiam eripi ſibi è manibus indignabatur, Quare omnes arbitrum de pace agitationes irritò fuêre. Per id etiam temporis Albertus Pruſſiæ Princeps, legatos ad Sigiſmũdum miſit, qui nouum ab Imperatore Marianis Magiſtrum datum nunciarent, & curarent ne illius aduentu motus aut turbæ aliquæ inter Borruſſos orirentur, quod petiuit à rege & Senatu tempeſtiuè prouideri; tum locum & vocem regiæ electionis in Senatu ſibi dari. Rex legatis benignè auditis, nihil ſe prætermiſſurum reſpõdit, quod ad pacem Pruthenenſium tuendam aut conficiendam pertineret, locum verò abſque ordinum conſenſu concedere haud poſſe. Et mox ſuper re nunciata, Ioannem Dantiſcum ad Imperatorem miſit. Atque interim nunciatum eſt Petrum Valachiæ Palatinum, propalam minitari ſe Roxolanum agrum incurſurum, & regias prouincias vaſtaturum. Quare Sigiſmundus re in Senatu

penſâ,

pensâ, Ioanni Tarnouio dat negocium, vt finibus regni intendat, & quid hostis agat sciscitetur atq; obseruet diligenter. Quo etiam tempore Pius Pontifex maximus Christianorũ conuentum celebraturus, à Rege postulauit, vti Legatos & Episcopos mitteret quocunque ipse locorum assignaret. Cui Sigismundus in re tam pia & necessaria minimè se refragaturum respondit. imò paratum Romanæ Ecclesiæ autoritatem (cuius maximè obseruans erat) per ipsa pericula & infortunia assertum ac defensum ire. Affuerunt per eosdem quoq; dies, Soleimani atque Oslamsultani legati, vterq; nouo Regi Augusto & veteri amico Sigismundo gratantes, nisi quod posterior stipendia seriùs missa dari sibi postulauit. Petrus autem vere nouo appetente, coactis in vnum copijs, Pocuciam hostiliter ingressus, vagis primùm populationibus aggrestes infestat, & vicos exscindit, graues dein prædas in castra contrahit, oppida diripit, & succẽsis aliquot minutioribus castellis Colomiam,

Sniatinum & Tiſmienicam valido præſidio cō-
munit. quorum nonnulli dum per circumiecta
graſſabantur, crebra & multa vulnera aut mor-
tes fecêre, Horum nuncio accepto Sigiſmun-
dus permotus, Ioannem Tarnauium obuium
properè mittit, qui ſumptis mille ducentis equi-
tibus Neſtrum ex templo tranſmittit, & hoſtem
aliquot leuioribus prælijs commiſſis haud ægrè
pellit, regione tota paucorum dierum interie-
ctu pacata. Tum Valachus re audita, ingentibus
angebatur curis, quod exiguo milite, & intra
paucos dies, turpiter prouincia expulſus eſſet,
quam ipſe ingenti ſumptu & non minore diffi-
cultate occupauerat. Igitur qui in fide ſua per-
ſtabant, bonum animum habere iubet, & ſe
propediem cum exercitu affuturum affirmat,
bellumq́ue impeditum, arduum, & cruentum
Polonis minitatur, vbi mox propero gradu ſex
equitum millia præmittit. Tarnouius tamen
caſtra in aperto ad Obertinum habens, nihil
hoſticum verebatur tale, proſpero ſuorum ſuc-
ceſſu

cessu confirmatus, ex quibus licet multi vulnerati fuerunt, nullus tamen in tanta oppugnationum pertinacia occisus erat. Quare aduentantibus animosè in os intendit, & tormenta dirigi atque librari iubet, qui rem sciscitentur præmissis. Et conferta ad Guozdeciā arcem acie, reprimit facilè globorum fragore de colle descēdentium impetum, & fundit fugatq́ue fugientes. Eodemq́ue impetu & arcem recepit, licet eminùs hostes deturbare telis, congestasq́; lapidum moles prouoluere non desinebant. Firmatis itaq́; præoportunis locis fortibus ac fidelibus viris, quid agendum aut quid cauendum esset præscribit, & ipse cum dilectis Leopolim redit, vt laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omnibus, hac victoria ostenderet. vixq́; Vrbis portas ingressus, cum subito exploratores post terga assunt, nunciantes Petrum grandi exercitu instructum, & magno machinarum ac tormentorum apparatu, aduentare, Quare accitis vndequaq; veteranis, breui qua-

tuor millia collegit, tum ſolita altitudine animi ad hoſtem pergit: quem vt vidit ingentem multitudinē habere, vocatis ad ſe ductoribus quid facto opus ſit deliberat. Re autem quantū tempus patiebatur diſceptatâ, cum omnes fortunæ cedendum, & tormentis relictis Haliciam concedendum ſentirent, ipſe in tanta conſiliorum infirmitate aut cōſternatione animi plenus, militariter prorupit. *Abſit à me milites, vt ego theſauro Domini mei relicto, & hoſte nondum conſpecto, turpiſsimam fugam appetem. Hic (cum Deo dicam) vincendum aut numinibus aduerſis neceſsitati fatali parēdum. Vos modo obſecro, priſtinum animi robur forti dextra repræſentate, & habebimus abſque dubio vnico die confectum bellum.* Ingens ad ea alacritas; & cuncti operam lætis animis impigrè ſunt polliciti, Ioanneſque manipulis confeſtim ordinatis, caſtra in plano ad Obertinum poſita, foſſa non modicæ latitudinis circumuallauit, tum partem equitatus, lectos omnes ſub hoſtium ſtationes miſit, qui & copias

copias eorum explorent,& ad pugnam velitando prouocent. Hos hoſtes procul conſpicati, magno numero correptis armis obuiã eunt,& miſcentur,diſcurruntq́;,mutuis ictibus concertando. Ac demum cuncti ordinibus & ſubſidijs inſtructi, caſtrorum munitiones & ſtationes perrumpere nituntur, laceſſant,circumgrediuntur, diſpoſitiſq́; ne diffugiant vndequaque turmis,machinas admoueri iubent, & pugnam committunt. Certatum eſt atrocibus animis ſupra horas quinq; continenter, Valachis complere foſſas virgultis, & cratibus cateruatim nitentibus, Polonis propellere lanceis & ſagittis, èminus conantibus. His prædę cupido, ſuorum multitudo, & prægrandior tormentorum numerus, animos dabãt, illis extrema iam ſalus, ipſa paucitas & ducis inclyta gloria, & ſi viciſſent inſignitius nomen. Ergo patefacta iam hoſtium bombardis aliquantum per munitiones via, Ioannes occaſionem pugnæ equitibus adeſſe ratus & cohortatus, ſignum in aciem de-

ſcendendi dedit, primaque ſors congrediendi, Troianouio obuenit: ſed excuſauit, quod iuuenes nondum ſatis pugnæ aſſuetos in ſua cohorte traheret, ſuppleuit ergo cum veteranis Balliccius, ſed parum proſpero ſucceſſu, cum ſui omnes tormentorum ictibus cecidiſſent; nihiloſequius tamen cæteri ſubſequuntur, & hoſtes haſtis à latere feriunt, quos pectore illi ſuſtinent aduerſo, & exaſperatis odijs procurrunt denſioribus globis. At pedites interim turbati oppugnationem deſeruêre, cum glandibus piliſq; expoſiti, velut pecora trucidarentur, nullo tegmine tecti. eratq; circumiecta camporum facies, ob multitudinem cadentium maximè fæda ac miſerabilis, cum & inter equites ſtrenuê pugnaretur pro gloria, vita, & libertate, & nunc hi, nunc illi, fortuna belli domina, variante, loco cederent & vulnerarentur. Tandem ſclopetorum colubrinarumq; (quas clam ſuggrediens Ioannes inter currus occultauerat) fæda ſtrage ſuperati Valachi, laxiſſimis habenis terga in fugam

gam verterunt. Et ipſe Petrus, qui pugnæ formam & euentum in colle anxius ſauciuſq́; proſpectabat, ſalutem fuga quæſiuit, cum neq; autoritate, neq; precibus, ne manu quidem obſiſtere aut retinere militem quiret. Quem Ioannes in arce Chocimenſi obſeſſum, & ad extrema redactum, ſolenne vna cum proceribus & cuncta nobilitate ſua iuſiurandum ſibi dare coegit. Et nec tamen omnino ſatis fidens cōmeatum importari, & præſidia diſtribui per muniones curauit. Demum ipſe viginti & duobus hoſtium millibus, vnica acie proſtratis & fugatis, victrices Leopolim copias reduxit, atque inde Cracouiam, cum ſpolijs ad Regem perrexit, quinquaginta machinas, vexillaque hoſtilia cuncta, cum mille equitibus trahens. Tum vrbs tota victoriæ certa, feſta omnia in ingreſſu agere, ſciſcitari, publicæ priuatimque lætari, & virtutem illius laudibus efferre. Et Sigiſmundus poſt decantatum à ſacerdotibus diuinum carmen, protinus Iacobum Vielamouium

ad So-

ad Soleimannum misit, vt recuperatam à Valacho Pocuciam & nuperam victoriam ei nunciaret, oraretq; tributarium suum intra terminos fidei & imperij quietum contineri. Miratus ille, & indignatus certè, quod tam pauci tam insignem victoriam cõsequerentur, verbis magis in speciem gratulatus, quam vt penitus sentire crederetur, collaudatum Vielamouium dimisit, datis & ad Petrum Missis, qui monerent non belligerare. Cæterùm miles ille qui Pocuciam præsidio curabat, non desinebat Valachũ incursionibus fatigare, donec lassitudine affectum, pestilentiaque è diutino labore infectum ad vltimum eum malorum malum & quietem deinde redigeret, quam interuentu Ioannis Veidani Pannonum Regis in annum panxit. Sigismundo verò sub finem anni comitias celebrãti, Imbraim Bassa à Soleimanno iussus, dum Palatinos Europæos, Cadios, tributaros, vrbes, & omnia excutit & colligit, res quoque Valachi amissas ac tormenta primùm per legatum repetit:

petit: ſed cum re infecta reſponſum, vt par erat à Sigiſmundo accepit. Idem & Alberti locum in Senatu petentis oratores retulêre, eo quod lege antiqua Polonis cautum eſſet, neminem maioris ordinis ſeu prærogatiuæ, præter equeſtrem in Senatum admittendum. Eodem tempore Pocuciani milites prędatum iterum in Valachiam iuerant, mille equites erant, ſed inſidijs ad Tiraſſouice circumuenti, parum proſpera pugna vſi amiſere ducentes viros, prædamq́ue totam. In Taurica autem Setkirei Turcarum opibus adiutus, vere nouo appetēte, tollere fratrem Oſlamſultanum ſtatuit, qui nuper expulſus & cum auxiliariis Zauolgenſibus victus, Caſtra ad Circaſſos Sigiſmuudo indulgente, & de more familiam habebat, ſed imparem ſe videns in Moſcouiam Boryſthene transmiſſo exercitū traiecit. Setkirei autem fratre illic non inuento arcem Circaſſorū obſidere aggreſſus, habuit in cōmilitio præter ſeptuaginta Tartarorū ſuorū millia Genitzaros mille quingentos, quinqua-

gintaq́ue à Soleimanno æneа tormenta. Horũ itaque ope & auxilio fretus, tredecim diebus acriter oppugnauit arcem, etſi fortunâ, parum attollente aut proſpera vſus, quinimo ſaluti ſuorum parcendum ſtatuit, & plurimis amiſſis, receptui cani iuſſit, cum Roxolani intra munitiones clauſi, cum ſuo Oſtaphæo ſtrenuè propugnarent, oſtioq́; aperto, conatus hoſtium pertinaces, interdum impreſſione reprimerent. quos ille pugnantes continuè obiens, magno animo in prælium acuebat & excitabat. Igitur barbarus magnitudine viri attonitus nihil vltra hoſtile tentans, amicè ad ſe in colloquium & in caſtra vocat. Hæret nonnihil iſte & dubitat: ſed vt ſolent generoſi animi infidei partes inclinat, obſidibusq́ue acceptis ad tentorium proficiſcitur, epulatur, & reconciliatur. barbarusq́ue complexis dextris abiit, & Sigiſmundo exhinc iam libenter adhæſit. Iisdem diebus Soleimannus in fertilem illam Pannoniam magna mole mouens, ac fidam fortemq́ue Viennam, Stiria

& Ca-

& Carinthia prouinciis euaſtatis, obſidere intẽdens aut tendens, duodecim dilectorum millia prædatum in Auſtriam miſit. Cæterùm Ferdinandus, vt res ſuas firmaret aut defenderet, Carolum V. Imperatorem ex Hiſpania properis litteris, cum valido exercitu euocauit, cui & Sigiſmundus noſter tria haſtatorum millia ſubſidio miſit. Sed hanc Soleimannus potentiam, & tam celeres Caroli apparatus veritus, confeſtim reflexis habenis in Hungariam perrexit, ſignoq; pugnæ non expectato, copias trans Danubium minimè laceſſitus reduxit, modo quod Poloni vaſtatores illos Auſtriæ conſectati, nouem millia ceciderunt, & à Carolo ob eam rem collaudati ampliſſima munera retulerunt. In huius anni exitu Sigiſmundus Petrum Opalinium magno animo & conſilio virum Caſtellanum Lendenſem, qui cum eo de pace ageret renouaretq́; dextras ad Soleimannum miſit; qui vbi primũ Conſtantinopolim peruenit, abſq́ue omni cõditionũ volutatione fædus inter principes ipſos

 ſucceſ-

ſucceſſoresq́; eorum Auguſtum & Muſtapham inuiolabile & perenne panxit, nam Soleimannus Chriſtianorum conſpirationem prætimẽs, prçſertim Carolo conuentum tunc Viennæ celebrante, facilè oſtẽdit placere ſibi, quæ ab ipſo de pace agebantur, modo ne Rex hoſtibus ſuis clàm aut apertè faueat. quod itidem ſe facturũ promiſit, & nec Valacho aut Tartaris ſuæ ditionis, ſepta veteresq́; regnorum limites tranſilire permiſit. Quæ conditio cum legato placuiſſet, recepta ea atq; comprobata ad Sigiſmundum reuerſus eſt. Ad quem ſub anni eiuſdem exitum Scythici & Moſcouitici oratores conuenêre, illi Oſlamſultanũ, Setkireio expulſo & ducem Perecopenſem & fidum veteremq́; regis amicum eſſe teſtatum, iſti autem conqueſtum & ius definitimis, mercatoribus petitum. prioribus ſolita ſtipendia promiſſa, poſterioribus Cõmiſſarij dati, ſed à priori, iterum legati tempore hyberno venêre, ſtipendia tardius reddita orantes & denunciantes, quod nulla ratione poſſit

placa-

placare aut auertere, ab infesta & graui Podoliæ incursione, commilitonum (Vlanos ac Murzos dicunt) manes. cum quibus legatis, & ille Ostaphæus Circassorum in armis plurimum excellens toparcha venit, ferreosque miræ magnitudinis tormentorum globos, in Senatum intulit, Rege comitias tunc Petricouiæ celebrante, quos Genitzari cum à Setkireio obsideretur, in arcem suam sunt iaculati, & grandem numerũ illorum grandinisque instar in arce se habere asserebat; tum sociorum laboris & de patria bene meritorum habendam rationem rogauit. Rex coronaq; patrum magnificis incoram verbis collaudatum, arcibus Krzyczow & Cieciersko ad ripam Borysthenis in confinio Scythiæ atq; Moscouię sitis ipsum, pręmiis & honoribus commilitones ornauit. Demum conuentu regni oratoribusque regum dimissis, inter quos & Soleimanni erãt, Styriam, Carinthiã, & Carniolam à se debellatam nunciantes, Cracouiam profectus, Moldauiæ Principis legatos co-
 miter

miter excepit, qui nullos imperij sui fines cum Polonis habens, vltrò Regis amicitiam, & ob solam modo virtutem aut facinorũ magnitudinẽ expetendam putauit, seq; palam & sponte amicum Sigismundi professus est, non armis aut odio, vt Valachus, sed beneficiis, amore, & sedulitate, certare affectans. Legatus amicitia vt postulauit confectâ, benignè à Sigismundo habitus & in Moldauiam reuersus, ea quæ in Polonia egit, ritè obsignata Principi suo retulit. Sigismundus verò domi pace parta, & hostibus foris victis aut repulsis, vt animum, lassatamque grandi illo imperij pondere ceruicem recrearet, ad diutius sustinendum, solennem ad Niepolomicæ venationem instituit, cum quo & vxor Bona illic erat. Itaque die proposita aggrestes (quorum ingens erat numerus) & Venatores in id munus imperati, Vistulæ ripas nemorisque partes cum lanceis & venabulis insederunt; assederunt & sagittarij sclopetariiq; in omnia intenti. Tum post longas ferarum agitationes

tiones aut exanimationes, diffuſa Rex reliqua turba per ſyluas, alacri ipſe equo inuectus, ne qua inde fera elaberetur obſeruare iuſſit & vrſum miræ magnitudinis, ac ſupra naturæ ſolitum emiſit, quem ex Lituania arce ferreę incluſum adduxerat, hic, tum canum latratu, tum hominum clamore excitatus, poſtquam ſæuire cæpit, ſupra centenos ingentis magnitudinis canes fæde lacerauit, venatores & nobiles non nullos vulnerauit, regiumq́; mimum Stanczyk vocatum (hunc ſtatu puſillum & vix Aeſopo abſimilem Rex inter delicias habebat, eo quod lingua garrulus & lepidus eſſet) cum equo ad lapſum deturbauit. Quod Sigiſmundus conſpicatus *Non ſtrenui*, inquit, *militis robur Stanislae*, *exhibuiſti nobis*, *ſed ignauiſſimi ludionis*, *qualem te & facies indicat, facinus*. Ad quæ ille, ore libero, *quinimo illi ipſi ſordidum ſcænicorum morem agunt*, *qui immanes feras carcere mitigatas in ſuam ſuorumq; perniciem ſoluunt*; quaſi admonens ſiue exprobrans indecentiam facti,

quod

quod beſtia exacerbata complures hominum vulneraret, & quam Regina etiam partui vicina fugiens, cum equo laberetur atq; inde fætum amitteret. Idem, per ludum veſte à pueris ſpoliatus, ad Regem nudus perfugit & cum indignatiuncula exceptus, exclamauit *Scilicet tibi conuenit mei miſerari, qui ipſe Smolenſco exutus à Moſco, nullam recuperandi mentionem facis.* Senſit eum vera dicere Sigiſmundus, & ad ſe rediit, in Lituaniamque extemplò profectus, legatos ad Baſilium miſit, qui monerent & rogarent, Smolenſcum ſibi optimo & paterno iure debitum reſtitui, ſuamq; ob id amicitiam retinere quam inimicitias experiri: ſin aliter bellum denunciarent. Denegat ille; & Sigiſmundus porrò indicta concione bellum pronunciat, & ad res ordinandas conuerſus, tributa exigit & pecuniam in ſtipendia militi parat. Quo tempore Oſlamſultanus interiora Moſcouiæ ingreſſus, huc & illuc primo populabundus volitans, magno prælio demum ad

Okam

Okam fluuium cum Basilio conflixit, & victoriæ compos ad Sigismundum illico nunciatum & stipendia oratum misit, quod cum paullò serius ad eum missum esset, irritatus, Borysthene ad Tauaniam transmisso, Russiæ regiones inuadere parabat, & iam aduentabat, cum obuij legati stipendium illi opportunè attulerunt, quo accepto reuersus exercitum in Moscouiam traiecit, & vicos innumeros, paruaq́; castella populatus, præda ingenti suos, hostes metu plurimo affecit. Basilius autem (toties clade accepta famosus) hostilium armorum fragore audito, vehementer commotus vitæ tedio simul & languore mortem obijt, filio Ioanne, quatuor annos nato relicto, sub tutela Michaelis Glinscij auunculi, Georgijq́ue ac Andreæ patruum, sed isti ingenium Michaelis veriti, ob causam superius allatam, ipsum tætro carceri includunt; qui aliquot post annos, illuuie atq; pedore obsitus squallensq́ue, diem illic obijt. In Lituania autem bruma appetente, grandem Moscouita-

rum exercitum, nunciatum eſt aduentare. Igitur nobilitas ſumptis properè armis, progreditur obuiã, & hoſtes ad Starodubum nacti, acies dirigunt, pugnant, primo parum feliciter, mox aliter Conſtantino erigente & ſubueniente. Et pugnatum eſt diu atque acriter, dum neutri loco cederent, & victoria ſeſe modo in hanc, modo in illã partem inclinaret, aut ludificaret Duces. Tandem Moſchi altero ex ducibus amiſſo, in fugam conſternantur effuſam, & paullò ordinatius cedens, alterum quoq; amittunt, vinctum & victum. Conſtantinus autem hoſtibus fugatis aut ſuperatis; vrbem ipſam impetu eodem aggreſſus cepit, nam adnitentes irrumpere milites, ignem flantibus auris immiſerunt tectis, qui vbi ad pulueres ſulphureos deuenit, auctus viribus flammam horribilem edidit, qua vrbs tota conflagrauit, cum ciues metu perterriti pugna deſtituta intra arcem ſe reciperent: multa tamen millia tam in vrbe (quæ vaſta & opulenta erat) quam in acie cecidêre, aut fumo

ſuffo-

ſuffocati exarſêre, imbecillis præſertim ſexus. Poſthæc arx oppugnari cæpta: ſed cum ferro expugnari haud poſſe videretur, quod vallo validoq́, præſidio munita eſſet, res ad obſidionem ſpectare viſa: quæ cum ob commeatuum inopiam nimis moleſta eſſet, Conſtantinus caſtris inde remotis, Radochoſczam vbi opulentius ſolum, copias deduxit, ſituq́; oppidi proſpecto, attentiſſima cura ptouidebat, ne quis ingredi egrediue aut commeatus quicquam importare poſſet, nam hos inopinatò circumſederat. Tum pugnæ ſigno propoſito, arce ſimul & oppido potitus, in prædam militi conceſſit, quo minus finitimi iniecto metu reſiſterent. Hic Palatinus ex præſtantioribus vnus, cum vxore & liberis captus, ad Sigiſmundum in Lituaniã ablegatus eſt; ſed pro more Regis & gentis, honeſtè benignèq; in Trocenſi arce habitus. Quæſito igitur Conſtantinus poſt pugnam Radochoſcenſem diu prælio, fruſtra habitus diſpartit vires, hoſtium exemplo circumferre bellum coactus. &

Czernieiouiam ipſe conceſſit, agrumq́; omnem vna propè excurſione cepit, oppidis aut debellatis, aut in deditionem receptis. Pars altera exercitus Smolenſcum verſus perrexit, & Vrbē eo ipſo quo venerat die exuſſit copijs quo faces ingererent circumfuſis. Arx quia valido præſidio & munitionibus turritis firmata erat, inexpugnabilis poſt prælia multa manſit. Quare bello in aliud tempus dilato, quod illis diebus hyemem frigoris magnitudo valde exaſperaſſet, exercitus vterq; agmine compoſito Vilnam ad Sigiſmundum reuènere, prædâ & famâ onuſti, & cum eis Ioannes Laccius ac Baſilius Bielſcius è nobilitate Moſchouitica, patria ob tumultus deſertá; vterq; à Rege donati & perliberali ſtipendio locupletati. Noſtris in hyberna egreſſis Moſcouitæ nulla aëris acerbitate reformidata, Połociam & Vitebskum excurſione exuſſêre, agriſq́; circumiectis euaſtatis, graues prędas in ſua redigere atq; id impunè totum. Fine anni itidem Tartari Volhynia peragrata, cum

cæte-

cætera præda quindecim mortaliũ millia auexêre, Suburbio Zasłauienſi ſuccenſo. Haud multo poſt Ioachimi Brandeburgenſis Margrauij oratores, Heduigim Sigiſmundi filiam in matrimonium puſtolarunt. Tum Alberti Pruſſiæ ducis, auxilia contra Crucigerorum gliſcentes turbas. Rogata vtriq; conceſſa, & legati vt comiter excepti ita liberaliter dimiſſi. Interim tres Moſcouitarum exercitus, quorum Dux Ioannes Ouczyna erat, interiora Lituaniæ ingreſſi longè lateq; incolis incuſſerunt, & Braclauiam vſq; graſſantes peruenerunt, quorum adeò horrenda & immanis crudelitas erat, vt infantes è parentum complexu raptos, palis, verubuſque plorantes infigerent & in fruſtra conciderent, humanitatis plus quã atrociſſimus Scytha obliti. Quo audito Sigiſmundus, vt impetus eorũ cohiberet, nobilitatem ex hybernis euocauit, & hoſti iter præcludere iuſſit; ſed hoſtes in Moſcouiam ſe receperunt, antequam iſti conuenêre. Oſtaphianus modo ſumpta Kozaccorum,

haud contemnēda manu (ad tria millia numerabantur) inuicem excursiones multas in Moscouiam fecit, & regionē vniuersam, longe maiore formidine aut calamitate affecit, eo quod Kozacci Nissouienses popularium clades, nece seu victorijs expiare, enixè contenderent. Quare, summa celeritate peruagati, vicos passim exurunt, pagos euertut, templa disturbant, oppida & ædificia perantiqua diruunt, totiq; regioni circa vrbem Moscouiam, vastitatem & inflammationem promore inferunt. Vere appetente, vt Filiam Heduigim Ioachimo desponsatam, Sigismundus matrimonio copularet, Vilna mouens Cracouiam rediit, Tarnouio cum septem Polonorum millibus in Moscouiā misso; qui iunctus Radiuillo copiarum Lituaniæ Præfecto, arcem Homianam in tractu Seueriensi expugnauit, vnde frequentes excursiones in agrum Mohilouiensem fiebant, quæ fruges & sata vastabant, & prædas etiam frequenter abigebant. Inde Starodubum arcem munitissimam

mam obſedit, quam Ouczyna valido cum cæteris præſidio curabat, & diu egregieq́; propugnabat, omnibus tentatis quæ ſtrenuo duce digna erant: ſed præuertit ſors audaces conatus, victoria ad Polonos tranſlata, & Tarnauius militibus vti rem impigrè gerant cohortatis, puluerem ſulphureum, & ignem ex improuiſo inferri iubet. Et vndique ſtatim, comprehenſis munitionibus, vno omnia tēpore ignibus ambuſta ſunt: adhæc pedites immiſſi perculſos metut urbauêre, & compluribus cæſis aut vulneratis grandem numerum cepêre, qui cum ſua multitudine militem regium longè ſuperarent, Tarnouius numerum & vires prætimens, interficere illico omnes iubet, Palatinis aut pręfectis modo exceptis, inter quös Ouczyna, Syczki, & Koluczow, pręſtantiores erant. Theſauri ingentes capti, & varia rerum præda; ſed longè maior conflagrauit, cum nec cælum, nec dies, nec bellantium clamores dignoſci potuiſſent, pulueribus illis, ad inſtar fulminis tonantibus, &

fumo

fumo caligantibus, quo adeo multa mortalium millia periêre, vt nec Illum tunc, Troianamq́ue gazam interire videres. Quod vbi Sigiſmundo nunciatum eſſet, gaudij plenus triumphalem aut ſolennem diem Cracouiæ inſtituit, quem vt celebriorem lætioremq́; faceret nuptias in eum contulit, filiæ ſuæ Heduigis cum Ioachimo Brandeburgi Margrauio, qui haud multos ante dies ad capiendam hanc deſponſatam venerat. Moxq́ue Sigiſmundus Ioannem Ocieſcium ad Soleimannum, & Staniſlaum Tarło ad Ferdinandum, legatos qui fœdera & amicitiam renouarent, & victoriam nuperam nunciarent miſit. nam & Soleimanni interim ad Senatum legati venerant, qui Sigiſmundum cum Filio Auguſto fato ſublatum, (vt illic rumuſculi diſſipati erant) exiſtimans, egregium facinus exiſtimauit, mittere viros, qui properam illorum mortem ſibi grauem declararent eſſe, & hortarentur patres in eligendo nouo rege, vno & cõſenti animo ſtare; illumq́ue Polonici ſanguinis place-

placere. Et pręcipuè Archiepiſcopum Gneſnenſem (imbellem pro ſuo ſenſu iudicans ſacerdotem,) Sin autem aliqui extranei turbare Rempublicam ſub interregnum, & electionem vellent, ſe paratum tutorem aut defenſorem præſto declararent. Tum Senatus & Rex ſe cum filio incolumẽ, ſuperis annuentibus, vigere & viuere legato reſpondit, & vt renouarentur dextræ per Ocieſcium miſſum poſtulauit. Ipſe verò conuentu Petricouiæ abſoluto, Vilnam ad perſequendas belli Moſcouitici exequias, ſub exitum anni digreſſus eſt, vbi regulis & primoribus conuocatis, Auguſtum expacto iura & libertates regionis, ſanctiſſimo iureiurãdo confirmare curauit. legatosq́; fæderũ renouandorũ cauſa, in varia dimiſit. Et rebus ex ſententia compoſitis, initio anni alterius, vt veteranos in agris diſponeret, in Poloniam regreſſus, arcem Cracouienſem, quam ſumptu ingenti & magnificentia regali exædificarat, conflagratam & deformatam reperit; quod mox notatum à curioſis,

riosis, futuros motus in Republica (& exitus docuit) designare, quia omnes ferè magnæ & memorabiles in rebus humanis mutationes, aliquanto antea, aut vno aut pluribus illustribus ac notabilibus signis, diuinitus portendi ac præsignificari solent, licet illa, & nostra tempestate hæc animaduertere, aut procurare religiosum esset. Sigismundus autem, post præstitum ab Augusto, Ordinibus regni, in conuentu publico iuramentum, Valachicum bellum per se agere instituit, ob auxilia Turcica minimè negligendum arbitratus. quo verò maturiùs nobilitas regni conueniret, Leopolim ipse cum optimatibus præstolaturus concessit; verum illi voluptatibus ac desidia ex longa pace confecti, quæ in Martiali etiam populo relanguescere animos facit identidem refractarij, discordes rebelles erant, nunc hoc nunc illud petebant, & ita petebant, vt voces proteruas & conuicia (vix non manus) in Regem & optimates mitterent, in hostem verò nullo pacto prodire vellet,

sed in

ſed in caſtris ad Leopolim turbas ciendo, & peſſimi cuiusque ſermonibus aures præbendo, ad gelidam vſq; brumam remorarentur: & ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur, quaſi hoſtis in conſpectu eſſet. Rex verò ab omni cætu deſtitutus, etſi relinqueretur ſolus, nihilominus tamen immotus modeſtè ſuſtinuit cuncta, & ſola ſua conſtantia peſtilentem rogationem diſiecit, tum bonis verbis delinitos à ſe dimiſit. Ne autem in Valachi poteſtatem Pocucia veniret, Andream Tęczynium Cracouienſem, & Nicolaū Sieniauium Belzenſem, Caſtellanos, reliquit, cū duobus equitum millibus. Ipſe autē animi & corporis æger Cracouiam reuerſus, mœrebat & pænè deplorabat ſortē ſuam, quod pro victoria infamiā, pro ſubditis & militibus, rebellionem nactus eſſet, tumultuantium, & conuiciantium. Quapropter turbas, turbatorumuè animos ſedare volens, dum comitias Petricouiæ ſub exitum anni celebrat, milites qui aliquot oppidis regionis

Pocucianæ præerant, conuocatis frumentariam ad prædam Kozaccis, agros Valachiæ latè diripiunt & leuioribus prælijs toto anno infestant, atq; iam nouó vere ineunte, direptis aliquot munitioribus oppidis Czarnouice atque Botuſzany inflamant, agrumq́; Soczauienſem populabundi intrant, & prælio ingenti victores, magnam boum atque equorum vim in ſua abagunt. Irritatus aut prouocatus hiſce Petrus minimè ferendam tantam iniuriam diutiùs exiſtimauit, & coactis raptim è Turcis & popularibus quas potuit copijs, breui ſupra viginti bellatorum millia, in vnum contraxit, & cum eis Podoliam hoſtiliter ingreſſus, oppidum Czerwone dictum primo impetu expugnauit. Deinde per vallem, ad cuius exitum oppidum ſitũ, progreſſus, inſectari aggreſtes cæpit, qui hoſtem fugiens, gregatim in colles cōuenerant. Et dũ Iagielnicam atque Czarnokozincum obſidere parat, nihil in cāpis inuiolatum, nihil intactũ relinquit, ſed pro libidine cuncta atq́; animo gerit, homi-

hominesingenuos, nobiles, pueros, fæminas, omnes impunè abripit, in æternam qua nihil acercibius in bellis, ſeruitutem. Hoc cognito noſtri magnis itineribus ſecuri eò contendunt, & pares ſe hoſtibus rati intendunt caſtra caſtris conferre, atq; hac ratione illum cõmeatu interclufo, ad famem adigere, aut gladio rem experiri: nam antea marte aperto manus conſerere nuſquam audebant. Quare ex hybernis digreſſi, ad Seretum flumen proficiſcuntur, & prælio inſtruuntur, vniuerſi certaminis fortunam ſubituri. Sieniauius dextram alam, Tęczynius ſiniſtram tenebat, ſed hoſtium vterq; ignari, & duo tantum millia in caſtris habentes. Cumq; ſic inſtructi, numeroſiſſimum aduerſariorum agmen conſpexiſſent, nonnulli ex veteranis prudentiores (quibus temeraria Sokalienſis clades benè cognita erat) retrocedendũ, & fortunæ cedendum cenſebant, flagitioſum ad famam dicens cum imparibus copijs, temerè decertare, & poſtea ſibi ſalutem fuga querere; ſed nolebant,

quos prædandi libido rapiebat, aut quos excitabat sæuus præliandi ignis. Adhæc æmulatio de loco, & certamen inter ductores (ô fatalem insaniam) relictis hostibus exortum, vter eorum primò congredi debeat, maledicta inseruit, quibus implicati, quidam n hostem prodibant quidam indignati loco & acie cedebãt. Quod hostes, cõspicati, (quorum acies paullò pręgrãdior erat) absque mora Turcas sublato clamore immittunt, qui impulsu suo confusos, nullo certo duce, & parum certo ordine adorti, protinùs è loco deturbant, & nullis vltra sustentatos subsidijs, in fugam & fluuium vertunt. Duces ipsi Seretum transgressi, & vix aliquot equitibus comitati, manus hostium euasêre; quos Barum fugientes plurimi Turcarum nisu ingenti consectabantur, vt tam vberem prædam, Poloniæ Senatores, Imperatori suo offerant; sed non sunt assecuti. In campis autem strages fuit maxima, equitumq́; supra noningenti cæsi, & in ijs aliquot strenui ac fortes ductores, Węglinius, Pilec-

Pileccius, & Włodek, viri ob animi generiſq́ue nobilitatem longiore vita digni. Hac clade Petricouiæ nunciata, territi fractiq́; nobilium animi, faciliores ſeſe ad coërcendum exhibuerunt. Et Sigiſmundus re inopinata mæſtus, Eraſmum Cretkouium Caſtellanum Breſtenſem, illico ad Soleimānum miſit quæſtū ſimul & denunciatū, *Non licuiſſe imperatori per pacis fædera, Valachum Polonis inimiciſsimum clàm adiutum ire, & Pocuciam nihil à ſuis hoſtile metuentem inuadere, nulla denunciatione belli prius facta. Proinde orare ſe vti mallet Polonos ſibi beneficio obligare, quam Valacho Pocuciam tenente, illorum animos ab amicitiæ ſuæ, quæ nuper redintegrata, obſeruantia auertere, quorum ſocietas inter Europæos non eſt omnino aſpernanda, quippe quibus nec ferrum nec iuuentus deeſt ſæpiùs clade barbarâ experta.* Ille primum excuſare & dicere, *ſe inſcio ſiccarios illos* (non enim milites) *à tributario adſcitos eſſe tuitionis cauſa, cumq́ue illo incurſionibus crebris prouocato, in regnum poſtea iniuſſu ſuo inuiſe:* de cuius coërcitio vltro ci-

tro ci-

tro citroq́; verbis diſputatis, legatum ſpe pacis præciſa dimiſit, & mox copias præfeſtinans in Valachiam miſit, ne debellatam occuparet Sigiſmundus, qui etiam offendiſſe videbatur, non ſemel ante pacis confectionem auxiliis aduerſæ parti ſubmiſſis. Qui itidem legato reuerſo, & re audita, Ioannem Tarnouium, conuocatis repente quas habebat copiis, citis itineribus in Valachiam mittit, vt & Pocutiam ſibi antiquitus debitam defendat, & Turcas ab infeſtatione Roxolani agri trans Neſtrum auertat. Cæterùm Turcæ audito Auguſtum (Sigiſmundi filium) florentis ætatis iuuenem, cum maioribus copiis, ſuis ſubſidio aduentare (qui vt & militiæ ſueſceret, & ſortem ſuam experiretur, Leopolim cum exercitu properè aduolauerat) veriti ne aut Valachicus ager à Tarnouio vaſtaretur, aut ipſi reditu ab Auguſto prohiberentur, amiſſis oppidis ex quibus in Pocuciam traiciebatur, & Chocimia æquo præſidio firmata, abeundi in Valachiam conſilium capiunt. Tarnouius

verò

verò cum exercitu veniens, Chocimiam obſidio cingit, & cuniculo faciundo magna cura intendit. iamq́; obſeſſis ad vltimum diſcrimen erat ventum, cum Ferdinandi & Ioannis, regum de Hungaria concertantium interuentu, bellũ ſublatũ eſſet, quod haud dubiè cruentiſſimum futurum videbatur. Idcirco Auguſtus Cracouiam reuerſus, in glorium exercitum dimiſit & Ioannem Dantiſcum Epiſcopum Varmienſem, Ioannemq́; Latalſcium Palatinum Poſnanienſem, legatos ad Ferdinandũ miſit, propter conficiendum ſeu perficiendum matrimoniũ cæptum. Quo tempore noui Turcarum exercitus in Valachiam miſſi, Stephanum Alexandri filium, ſummæ rei præfecerunt. Petrus verò expulſus, ad Ioannem in Hungariam, & arcem illius Czyczauam, cum fortunis & omni precioſa ſuppellectille ſe receperat. Quare Sigiſmundus, quid à paganis ex Valachia expectandum eſſet dubius, comitiis quas pro more Petricouiæ indixerat, ob corporis infirmitatem Craco-

uiam tranſlatis,& per hyemem celebratis initio veris noui, Iacobũ Vielamouium qui res Hungariæ ſimul, & Valachiæ ageret Conſtantinopolim miſit, & Iſabellam filiam Ioanni deſponſatam, ſplendidiſſimo comitatu & ornatu inſtructam, in Hungariam ablegauit, deducentibus aut tradentibus marito Stanislao Tarło Epiſcopo Præmiſlienſi, & Petro Opalinio Caſtellano Gneſnenſi. Extremo æſtatis Soleimannus filiæ nuptias, duorumq́; filiorum circumciſionis ſolennem diem celebraturus, Sigiſmundum cum filio Auguſto rogauit, vt præſentes adeſſe velint,& celebriorem lætioremq́; diem ſua pręſentia efficerent. Excuſarunt reges, excuſatumq́ue legatum,ſi tardè veniſſet, Thomam Soboccium miſerunt,& vt Hieronimum Laſcium Ferdinandi oratorem, regibus inſciis eò in cauſa Ferdinandi iuiſſe excuſaret, & res Tartarorum ſimul Hungarorũq́; componeret, mandarunt. Anno inſequenti, nihil memorabile geſtum; quem totum Sigiſmundus in pacando interius

regno

regno consumpsit, iustitiam & ius sæpiùs ipse dicens. Aduenerat quoque anno eodem Pontificis Maximi (Paulus quartus is erat) legatus Hieronymus Rozarius, galerum præciosum gladiumq; benedictum Augusto ferens. is in ædem D. Stanislai introductus hunc in modum, incoram parentum, disseruit. *Rem sanè laudabilem, & tibi vltro expetendam proponendum duximus; Rex Auguste Potentißime, pietatem videlicet auitam & religionem sanctißimam; quam non defendere modo, sed asserere etiam & propagare, tuæ bonitatis est & officij: idque maximè hoc miserrimo tempore, quo vniuerso Christiano generi, ac sacrosanctæ nostræ religioni, periculum ab exteris & internis nationibus, vndique & vbiq; impendet. Soleimannus enim atrocißimus Christiani nominis hostis, non contentus debellata Pannonia, Styria, Carinthia, & Carniola, quarum magnam partem sui sceptri & sacri fecit. non contentus Valachiæ, Moldauiæ, finitimarumq; gentium obsequio, quas nuper oppresit aut subiecit, non contentus denique tot ca-*

ptiuorum Christianorum millibus, quos iussu suo horrendus Scytha, de tot prouinciis in æternam seruitntem auexit, extremum etiam Europæ inuadere, & Christianitatis caput Romam petere minitatur. Cuius potentiam, conatus, sedulitatem seu crudelitatem, toties edoctus à patre tuo bellatore Inuictißimo, credo non es iam nescius. Parte ex alia, virulentæ & turbulentæ Hæreticorum sectæ, quas clades in media pace non dederunt? quæ incendia? quas rapinas? in Anglia, Scotia, Britannia, & simplici illa Germania non ediderunt? quos incestus? templorum violationes, sacrorũq; profanationes in Gallijs, Danijs, Suecijs, & vltimis Noruegijs non patrarunt. pudet, piget, miseret, generis humani, cuius magna aut maxima pars, his non vanitatibus, sed stuporibus oppreßa, rabiem & furcrem in veros Dei cultores (quorum heu paucus iam numerus restat) quotidie exercet, Quapropter vehementer à te petit Paulus Pontifex Maximus, vt hisce turbulentis temporibus, auitam religionem pius ipse constanter retineas. & hac mitra, quam tibi mit-

tibi mittit victoriolis & corollis intextam, à Christi vicario coronatus, diligenti opera incumbas & satages, vt Respublica tua in sacrosanctæ religionis integritate, in morum & virtutum Christianarum honestate, in artium bellicarum & scientiarum optimarum cultu efflorescat, & indies magis ac magis propagetur, quo tuorum Polonorum virtute cæteri Christiani tecti, laboribus quieti & periculis tuti essent; tuque ipsus hoc gladio de pinguedine benedictionis accinctus & succinctus, subditos tuos à metu armorum, omni tempore & loco nauiter defendas, atque Christi Dei nomen, fixus & obnixus in cæremoniis patriis, quantum in te est propages & asseras, proque numine isto semper decertes, fortunas impendas, vires effundas, salutem denique ipsam. mors autem tua vita erit, & quidem beata atque æterna.
Ad quæ Augustus: *Ego lumine veritatis Euangelicæ, in qua animarum nostrarum fælicitas sempiterna continetur semel initiatus, statui illud ad extremum vsque spiritum constanter retinere, & studium in tuenda religione, ne huic quidem vi-*

dem vitæ par ſurus profiteri, eam ipſam laudem, quam à maioribus ſuis hæreditariam accepi excubandi aßiduè pro Christianis cum Polono populo, habere cupiens: pro quo tali intento meo, datori dies ac noctes ſupplico, & benefico illi numini plurima debeo; ex externis etiam rebus ſucceßibusq́; cognoſcens, deſertores fidei à Deo deſeri, cultores verò attolli & proſpera habere. Et legato cum his dimiſſo, Lucam de Gorka Epiſcopum Culmenſem, Sigiſmundus ad Ioachimum Margrauium miſit, qui veræ pietatis lumine reiecto, in caligine errorũ Luteri obberrabat, & Heduigim vxorem Sigiſmundi filiam idem ineptire cogebat. ſed monitus deſtitit. & illa ſalubriter modeſteque ſuam familiam diſponens, ſumma pietate & quiete victitabat, ipſa etiam lanam & filum carpens; aut veſtes texens, ad ſacrorum cultum ſeu altarium ornatum, cum attauia Heduigi (cuius reliquiæ miraculoſæ Trebniciæ conquieſcunt) ſanctitate morum & laborum decertando. Tempore eodem

dem Ioannes Lascius, Gnesnæ & Lęczyciæ Præpositus, Vesprimensiumq; in Pannonia nominatus & designatus Antistes, siue à superba quadam & rudi ferocia, siue à viciorum magnitudine & cumulo, quæ animum mãcipare solent obrutus, in Angliam profectus vxorem duxit. Et nec ipse tantum talis matrimonij cupitor erat, sed reperti sunt plures. Iudæi quoq;, licet ipsi vmbrã pro luce habeant, & pro veritate imaginẽ, tamen vbi Christianos inter se dissentientes & fluctuãtes viderunt, plurimos per imbecillitatem ad Iudaismum ductos & circumcisos, in Turciam ne facti pæniteant ablegarunt, vbi per omnes prouincias & extremum orientem sparsi, quaqua versus colunt, sed & in omni Poloniarum reguo. vixque oppidum aut pagus est, in Russia & Lituania pręsertim, in quo non plurimi agant mercatura & fænore locupletiũ auctitantes. Itaque edicto Regio vetitum, ne in posterum fas sit illis in Turciam peragrare. culpæ autem per inquisitores conuicti & damnati, pu-

ti, publico igne pænas luêre, Cracouiæ præcipuè, vbi singularem vrbem inhabitant. Attriti itaque & comminuti Soleimannum per litteras adeunt, & vt interponeret se apud Sigismũdum supplicant; & rescripsit ille, *Interuẽtu meo non est vobis opus, sed patientia, eaque modica, nam ego breui valido cum exercitu veniam, & pulsis Christianis vos in libertatem asseram atq; etiam dignitatem.* Sed obstitit & ausa illius impediuit Sigismundus, cum in culpæ reos seu legationis conscios ferro atque igne passim animaduertisset, & Petrus Gamrat vrbis Episcopus, Catherinam viduam ciuemq; cæteris terrori capitis damnasset; quæ pertinax & scripturis conuicta pænas alacriter, superstitiosæ pietatis publico igne sustinuit, ac tantum non læta periit. Eodem anno Tartari Duce suo expulso, nouum Saytkireium nomine, summæ præfecerunt, & pacis fædera sub finem autumni cum Sigismundo renouarunt, sed quæ mox vere nouo ipsi violarunt, agris Roxolanis circa Barum & Vin-

& Vinnicam ferro & igni vastatis. Ducebanturque passim miseri mortales in varias terras mancipati, & liberi à parentibus, domini à familiaribus, vxores à viris, vt cuique sors sua fuit raptati spargebantur, quia passim irruebant Scythæ, tanquam atra & perpetua nubes, vt neque explicare sese nobiles, neq; diffugere quisquam plebeiorum posset. Hos quædam onustam palantes Bernardus Prætificius Barensium Præfectus; vir vel solo virtutum merito (vt sanguis seponatur) omni summa fortuna dignus cum pauca Kozaccorum manu consectabatur Ocacouiam vsque Scytharum metropolim, & inuenit iam captiuos omnes in naues impositos, quibus Capham venditui in Turciam deuehebantur. Hos itaque miseratus, & cum multis mæstisq; lacrimis æternum solatus, paratum se & adiuratum vindicem pronunciauit, qui si liberare non poterit (nec tunc poterat) vlcisci tamen Deo benè iuuante, semper enixè curabit. Neq; intra verba affectus iste stetit, sed in omni

vita talem se præbuit, & hostes prælio inito profligauit. atq́; vt multæ sunt belli vices, non tantum è finibus patriæ annis subsequentibus pepulit, verum etiam in summum discrimen rerũ suarum adduxit: multis namque excursionibus & crebris factis, magnaq́; inde vi pecoris atque hominum abducta, vniuersam illam Tauricæ regionem tumultu ac terrore inuoluit. Idem & in Valachia fecit; qua æstate populus Stephano per tumultum occiso regimen Alexandro cõmiserat. Sed Petrus, recuperatis viribus hunc Principatu pepulit, & properè Legatos ad Sigismundnm, pacem oratum captiuosq́; repetitum misit, Cum quo ille, & conterminæ gentes, anno insequenti pacta renouarunt, finesq́; Turcici Imperij, per Czausios in id à Soleimanno missos, certis limitibus determinarunt, cum quo toto fermè biennio, res turbidæ Hungariæ & Isabellæ Reginæ cõponens, per legatos actũ quam Ferdinandus, Bohemiæ Rex per vim, Turca restitãte & defendente regno pellere voluit.

Et Si-

Et Sigiſmundus poſt celebratum regni conuentum, legatos ſub initium ferè quadrageſimæ ad Ferdinandum miſit, Samuelem Macieiouium regni vicecancellarium & Epiſcopum Płocenſem, Ioannem Latalſcium Poſnanienſem, Fælicemq́; Srenium Płocenſem, Palatinos, qui Elizabethem eius filiam, Auguſto annos viginti tres nato, olim deſponſatam in matrimonium poſtularent, honeſtoq́ue comitatu deducerent. Hæc forma corporis egregia, moribusq́; maximè compoſitis erat; incredibili adhæc continentia, & magno in Deum metu, in homines verò liberalitate & gratitudine. Ingredientem Cracouiam ad octauum Idus Maias, Auguſtus nobilitatisq́; ordo, nullo non honoris genere cumulauit, & per Archiepiſcopum Gneſnenſem Petrum Gamratum coronatam, reginam appellauit, gaudijq́; & letitiæ, à viris, mulieribus in templis, porticibus, compitis, priuatorumq́ue ciuium domibus ſigna promiſcuè præbita, At paucos deinde poſt dies, Auguſtus nouâ

nuptâ Cracouiæ relictâ Vilnam profectus, rumusculos in plebe post se reliquit, & vrbs post eius discessũ graui peste laborare cœpit, vt breui supra viginti hominum millia fato occubuisse numerarentur. Sigismundus itaq; vt vrbem multitudine vacuam faceret, Varsauiam se recepit, vbi legatos in varia dimittens & accipiẽs, qui ad eum frequentes ventitabant anno toto egit; & reuersus post celebratum ordinum cõuentum (qui subtilibus turbulentorum factionibus & consilijs scissus, suum effectum non est sortitus, Sigismundo senectâ languente) mille equites hastatos in Russiam misit, qui in omnẽ euentum intenti, contra subitas paganorum excursiones pro more illic excubarẽt. Cæterùm hi raptabundi, temerè ipsi excursiones in Perecopum fecère Turcicis etiam mercatoribus ad Oczakouiam spoliatis aut trucidatis. Quæ res Constantinopolim sub exitum anni nunciata, Principem simul ac plebem vehementer cõmouit, horum enim iactura, multorũ ciuium fortunas

tunas euertebat. Quare Czausium ille, qui mer ces sibi restitui postulet ad Sigismundum mittit: & hic arbitros legit, damna redonat, & captiuos dimittit. In Valachia autem anno insequenti Petrus Vaiuoda moribundus, Heliam successorem post se reliquit, & subditis persuasit hæredem Principem habere, qui creditum vni sibi imperium, suis itidem stabiliet gratia, arte, præmio, & sic melius regentur ac crescēt, inque libertatem sese hostibus repulsis vindicabunt. Cœpit igitur Helias annuēte populo imperium & tenuit, sed reuera non prospexerit, nisi quod tuitione Turcarum firmus, quorum ductu fœderum iura cum Sigismundo renouauit, & paulò post finitimis ius petitum misit. missique in id Constantinopolim à Rege, Stanislaus Bronieuius primò. deinde Nicolaus Cikouius: tum sub exitum anni Andreas Iacobouius, qui simul & Isabellā iam tum à Turcis ipsis oppressæ, res cōmunes ageret. Sigismundus aūt anno insequenti, ordinum omnium conuentu

Petricouiæ abſoluto, & rebus è ſententia conſtitutis, morbo vehementi correptus (ſub initium anni quadrageſimi octaui ſupra milleſimũ & quingenteſimum à partu Virginis) Cracouiã ſe deportari curauit, quo confectus, ipſo lætiſſimo die Paſchatis extremo ſolatio ſeu viatico præmunitus, inter ſuorum manus exſpirauit, ætatis annum agens ſecũdum & octuageſimũ. Cuius deceſſum non modo proceres & atrata plebes luxit, verùm exteræ etiam nationes regeſq; indoluere. erat enim ille (à parente meo qui in Aula & famulitio ipſius agebat, audiui) pleriſque dotibus corporis atq; animi ornatus, vultu decorus, corpore erectus & ſummis viribus præditus, vt reſtes non contemnẽdę craſſitiei & ſaleas equorum facillimè manibus frangeret: adhæc eloquentia promptus, ſermone parcus, ingenio & memoria validus, lepore & dictis etiam facetus, atque omnia cum regio quodam decore & maieſtate. Acceſſit virtutum ſtudium in toga & in bello, animi magnitudo

& libe-

& liberalitas: vno verbo, vix alium tanta indole aut ſpe Regem Polonia viderat. Poſt eius occaſum Auguſtus filius, (Vilnæ tunc agebat) properis procerum literis accitus vt primùm nuncium accepit, extemplò mæſtus Cracouiā mouit & venit, quem mater Bona & ſorores ſquallentes (quis matris & filiij affectum neſcit) per Samuelem Macieiouiū vrbis Antiſtitem & Regni Cancellarium excipiunt & conſalutant. reſalutat ille per Vicecancellarium, & diem exequiarum edicit; conuocatisque vt ſuprema erga memoriam patris ſui munera fungerentur, vniuerſis regni optimatibus ac regulis, magnificentiſſimo, die funeris apparatu ac ſumptu, in Baſilica D. Staniſlai iuſta perſoluit. Et tandem conſcenſo paterno ſolio, iuſſit vexilla explicari, & alia ſolita fieri in nouo regno, quod patre adhuc viuo in manu eius erat, electione ſiue iudicio delatum.

Poſtque annos plures, quibus vario euentu aut fortuna Imperium rexit, morbo itidem correptus,

reptus, haud multis æſtiuum ante ſolſtitium diebus, Ticociniæ interiit, liberis ipſe orbus, & vltimus ſtirpis Iagelloniæ hæres, Quo regnante Poloniæ res, non minus quam patre viuo maximè floruêre, nam & virtutibus heroicis patri non abſimilis erat, & finibus amplis à Septemtrione eam adauxit, Liuoniæ Ducatu firmiter ſubiecto: & bellis partim compoſitis, partim etiam confectis pacem reddiderat feſſis, tranquillitatis atque opulentiæ plenam. Sed & cum iam ipſe langueret aut animo linqueret, Iazłouecius exercituum Generalis, Iuoniam Valachiæ Palatinum, ſcriptis conditionibus in fidem & tuitionem recepit, inq́; regis verba iuratum, Polonis tributarium poſt multa tandem bella ſubiecit. Is cum venale apud Turcam penderet Valachicum imperium, & ſubditi male in Bogdanum animati, quod aliquamdiu ſæuiter & multa procerum cæde imperaſſet, res nouas agitarent, arma in eum cepit, & expulſo, in aula ipſa gratioſus, inuaſit imperium, atq́; armis peperit.

perit. ſed mox iisdẽ amiſit. nam & Petrus Moldauici Palatini frater, pecunioſus & ambitioſus homo, eodem aſpirauit, & ad Principem Turcicum accedens, modum pecuniæ certum & maiora tributa, vt in ſolenni auctione promiſit. Princeps ad Iuoniam retulit, & cedere huic, an cõcedere tam immanem ſummam velit quæſiuit. Ille re cum ſuis deliberatâ, reſpõdit. *Malle ſe popularesque ſuos, armis à tali auaritia aut rapina defendere, atque tanta pecunia pro Christiani generis gloria, facinus aliquod inſigne, ſcriptis militibus edere, quam vt in has conditiones aliquãdo paciſcatur.* Moxque Czauſio dimiſſo expeditioni ſe parat, comites & milites colligit, ac inprimis Kozaccos è Podolia accerſit, quorum virtus perſpecta ſibi erat, nomẽq; iam tum in Sarmatia ingens. Hi nũcio & literis acceptis, non exiſtimabant eos militari nomine eſſe dignos, qui auxilia à ſe implorantem aſpernarentur, & in rebus tam arctis non irent adiutum, & à tyrannide barbarâ Chriſtianos liberatum,

ſed mox lectis mille ducentis fortibus viris ſubſidio mittunt. qui itineri ſeſe citato agmine cōmittunt, & properè Neſtrum ad Chocimiam traiciunt. Quorum ductores Suierſczouius & Barſan præſtantiores, ac rei militaris peritiores erant, ſed fortiſſimi omnes, & quibus nihil prius erat nec antiquius fide, diſciplina, ſobrietate, & vigilantia. Expectabat Iuonia eorum aduentum, vt vna ſecum de Moldauica aduerſus Petrū expeditione, quam iam occipere inſtituerat cōſultarent. cernebat enim animo, quanta eſſet eius futura belli moles, quem ſciebat maiores quam ſe vires ad alendum bellum habere, & Selimum Turcicum Imperatorem his irritatū, ſuſceptam ſemel expeditionē non deſerturum. Ideoq́ue maturior illorum aduentus, fuit ipſi perquam gratus, præſertim quod tam liberè & properè abſque vllo ſtipendio aut pignore ad eum veniſſent, forteſq́ue viros in eam expeditionem aſſumpſiſſent, ſciens ſibi cum hoſte haud quaquam contemnendo, cumq́ue validiſſimis co-

mis co-

mis copiis rem futuram, Idcirco lætus, omnibus abundãtissimum epulum sub tentoriis prębuit, ipse discubuit, tractauit, & in letitiæ signũ tormenta ænea explodere iussit. mensis remotis grande pondus auri, in patinis argenteis allatum incoram deposuit, rogauitque vt quoniam gratis ad se venirent, hoc munus gratis iustè à se haberent; sed renuunt illi seq; gloria non auro indigere aiunt. instat tamen, & auaritiam superatam cum videt, stipendij loco accipere iubet: victi illi precibus & honesta voluntate principis, capiunt, & inter se partiuntur, ipse verò statiua illi & locum in castris sub vesperam assignat, & sex vini dolia sexcẽtosq; argenteos nummos numeris ergo mittit. Postridie, rubescente aurora ipse adit, & omnes in tentorium vocat, hunc in modum ad eos ordiendo. *Nisi mihi cognita virtus vestra esset, fortissimi viri, nunquam profectò vos in commilitium accersissem, è tam remotissimis Podoliæ partibus eductos; sed quia nota & spectata est, nomenq; vestrum latè*

ac longè polleat, ideo expeditionis huius socios & milites habere volui, quam pro Christiani nominis gloria, libens lubensque in Turcas suscepi, etsi à Selimo ipso motus & excitatus, sed quod mihi à puero adhuc cordi erat, Et is semper finis consiliorum meorum fuit, vt omnes meas vires in illorum perniciem conuerterem, vitamque hanc meam pro eius religione exponerem, qui pro hominum genere vitam effundere non dubitauit. Tum vt patriam hanc meam (sed in Masouia oriundum maior probabiliorq; est sententia, & in Aula Nicolai Firlei Polemarchi Poloniæ educatum certissimo cõstat, inde Bizantium translatum, & Machometanum agens res cõceptas moliri) *subitosque hosce in libertatem vindicem & asseram, quos cum vrgeri præmiq; ab hostibus immanissimis cernerem, non fuit æquitatis meæ, in tanto status discrimine eos destituere, sed desẽdere vel viribus vestris, quos stipendio educere & conducere institui, At quali aut quanto? modum non statui, neque inquiro, veritus ne virtuti vestræ minus valens aut decens præmium proponam.*

ponam. quos magis reprimendos moderandosq́; quam incitandos aut cohortandas in bello reor. neque aurum aut precium aliquod quærere puto, ſed quod ab ipſa virtute eſt, immortalem gloriam. Tamen quo cuncta alacriore animo in ea conſequenda agatis, pecuniæ vobis & commeatus affatim ſuppeditabitur, & dabitur quantum ipſi volueritis. Quibus ſimul & gratias ingentes debeo quod Chriſtiani nati, Chriſtiànis liberè ſuppetiatum veniſtis, licet exigua manu contra tam potentiſsimum hoſtem, nihilominus tamen numerum veſtrum ego, duodecim millium valoris æſtimo, ſperans Dei ope, qui iuſtitiæ fauet fore, vt acceptas iniurias, hac veſtra dextra vlciſcamur. Nam & aduerſariorum noſtrorum primordia ſatis etiam exigua fuere, ſed fortuna (non enim Deo) *prouehente, in tantam vt videtis altitudinem venere, delictis noſtris. quæ vt cæleſti iuſtitia æquante, aut remunerante opprimantur, ſed & reprimantur, ipſi auctores & cauſa ſumus. Et nec illi etiam alia fortuna vincunt quam ignauia noſtrorum, inertia, diſcordijs, & perfidijs, quæ*

omnia sunt abominabilia Deo, Deo, inquam, qui omne quidquid est, erit, & fuit, temperat, suauiter, prudenter, vtiliter. Quare & has immanes belluas, quæ fraude non Marte regna possidere sueuerunt, quo sublimiores esse sinit, eo grauiori lapsu, (& quis scit an non & manibus nostris?) corruere permittet, Christianique rursus replebunt & feliciùs colent. Plura effari, plurisque me commendare vobis, nec possum néc audeo, & quam vos aduenisse gaudeo, numina testor, vosq; ipsi cernere incoram potestis. Hoc tantum vnicum addo, fortunam meam, fortunàm vestram esse. Dixerat & magnitudine pietatis illacrimatus extemplò cõticuit. Ad quem Suierſczouius *Non stipendia vlla, quæ nos nihili facimus, huc nos Magnanimè, Iuonia adegerunt, sed virtus ipsa, & sic honesta voluntas tua, cui subesse cupientes certatim properabamus, & ne bello succumbas à paganis pressus, rem satis iustam suppetiandi existimabamus. Adhærescentes autem nihil diuidet, nihil distrahet, aut separabit, sed qua fide semel coniuncti, ea semper firmati & constan-*

constantes hostes tuos Deo benè iuuāte profligabimus; idque non alia spe aut præmio, nisi quod ab ipsa virtute est vt dixisti, immortali gloria, cuius exoptatus finis victoria, non ex robore nostro neq; ex hominum consiliis, sed ex summa Dei voluntate, ac potestate proficiscitur. Nos autem absque stipendio vllo ad omnia promptos & paratos habebis, etiam ad extremos casus: mercedem verò non aliam abs te, quam te ipsum volumus, id est animū tuum nobis & Polonis addictū.
Postquam hęc elocutus est. Iuonia dicto Swiersczouij militibus parere iussis cōplexus virū, solutus in lacrymas, & collaudatos omnes ad prādium iterum excepit, hilarèq; ipse epulatus. Selimus verò postquam legati sui reuenêre, talia nunciantes, scribere milites, & machinas parare extemplo iubet, missisq; triginta Turcarum & duobus Hungarorū in Moldauiam millibus, iubet Palatinum adiunctis suis, copias vniuersas in Valachiam traicere, & Iuonia expulso aut capto Petrum fratrem imperio præficere. Paret ille Principi, additis suorum quadraginta millibus,

bus, & in ſuo ſolo ad fluuium Moldauam vbi cõmeatum & maximè pabuli copia erat, dies aliquot quieti donat, nihil hoſtile metuens, vt defatigatos ex longo itinere Turcas aliquãtum reficeret. Quo per exploratores Iuonia cognito, delectam properè Kozaccorum manum, clàm eò cum Swierſczouio mittit, addit & Valachorum ſex millia, ipſe mox ſubſidio vẽturus. Swierſczouius ſilenti agmine profectus, quadringentos qui proſtratione noctu excubabant Turcas, inopinatò circumuenit, & antequam haſtas dirigere aut gladios ſtringere potuiſſent ad vnum cœpit, ex quibus edoctus, incautiùs hoſtem in caſtris agere, & nullo ſepimento obbucto, flumine ſolo ac mõtibus fretos paſſim vagari, confeſtim ad Iuoniam nunciatũ miſit, addito quod ſomnos ignauiſſimos ducerent. Igitur antequã expergiſcãtur & armis inſtruantur, cum copijs properus adſit, poſſe nunc diſiectos & longinquitate itineris feſſos faciliùs adoriri. Fecit ille, & iſte ad horam circiter tertiam intentus & inſtructus

ſtructus aduigilat; & cum aduenisſet, diuiſis in tres acies copijs, adoritur clamore turbido ignaros, & tintinabula tubaſq; occanere augendam ad formidinē iubet: primùs qui dextram alam tenebat Swierſczouius pugnam commiſit in ſemiſomnes ſtrenuè illatus, quorum alios reſiſtentes cædit, alios inermes capit, & alios fugā attentantes vulnerat, cum Turcę equis per conualles paſtum dimiſsis, haud acriter pedes pugnare inſueti potuiſſent. Idem & Iuonia ipſe in Genitzarorum agmen procurrens facit, ac paulò poſt in fugam actos acriter vrget, cum audaciùs nitentes Valachi, equorum impulſibus paſſim protererent pedites & ſternerent. Addebat cōſternatis terrorem nox nimbò atrox & montis anfractu repercuſſæ velut à tergo voces, tum ſuorum atq; hoſtium ignoratio: Hoſtibus igitur cæſis & repulſis, captinos omnes, quorum grandis numerus ad petente luce repertus, Iuonia trucidare iuſſit, & nullum è Turcis viuere permiſit. Moldauus tamen ipſe cum fratre Pe-

tro & ductoribus Turcicis elapſus, in vicinam ſeſe arcem recepit, ſed aquis ſtagnorum Danubij ægrè tranatis, & pluribus in natando laſſitudine & grauitate armorum merſis. In caſtris præda ingens, cum rerum aliarum, tum auri atq; argenti reperta, barbari nanque pro more dimidiam partem fortunarum ſecum bellaturi accipiunt: id totum Iuonia militi & maximè Kozaccis partiendum dedit. Iude locupletato exercitu, populabundus interiora Moldauiæ ingreditur, vicos exurit, ſegetes corrupit, & quosque indeptos capite plectit. contuſisque aut afflictis Regionis popularibus, qui montium editis, iuculti, atque eo ferocius agitabant, Brailouum adpugnare magno labore intendit, Palatinum ipſum cum theſauris antiquis, non minus crudeliter quam pertinaciter repugnantem ſubacturus, atque in primis ad præfectum arcis (Turca is erat) duos è captiuis mittit, vt tradito ſibi cũ Petro, Palatino, ſe culpa, omnes metu exolueret, nam alias ſe inde non diſceſſurum

rum sciret, nisi vrbe & arce direpta. Verùm iste sferoci & elato animo, missis per quatuor Turcas decem maioribus & totidem minoribus tormentorum globis, his se cibarijs tractaturũ Iuoniam respondit, quæ omnino dura concoctioni ipsius erunt. Inritatus hisce Iuonia legatos illos, auribus, naribus & buccis recisis, ante vrbis muros pedibus patibulo adfixit, obsessos autem terra & Danubio simul arctè oppugnare cæpit, dispositis circum balistarijs ac sclopetarijs, quorum magnus in castris erat numerus, & pugnæ signo proposito, peti aggerem, erigi scalas, ac promptissimum quenque succedere iussit, alios tormentis globos, saxa, & faces ingerere. Cæterùm comminutis, aut deiectis non semel scalis, instaurata sæpius pugna, prælia tumque atrociter tribus circiter horis, donec Swierscozouius deiectis è muro propugnatoribus, per humiliorem turrim cum Kozaccis in vrbem irrupit, & aditu facto maximam peditũ ac gregariorum partem immisit, tum portis

effractis cætera multitudo iniuit, diſcurſumque ad prædam, hoſte ſuperato, quæ hercules omnium Moldauiæ vrbium & contiguarum gentium opulentior erat. quia longo tempore à Turcis capta frequens mercatoribus, finitimarum etiam vrbium fortunas recondebat, & quique locupletiſſimi propter ſitum illius tutum ac ſecurum, theſauros illùc clanculum obſeruandos comportarant, Captâ ergo eà & direpta, omnibusque habitatoribus cæſis (ne puerum namque infantem viuêre in ómni prouincia Iuonia ſinebat) decreuit totis viribus arcem ipſam oppugnare, in quam cum præfecto qui auxilio vrbi exierat, multi ſeſe ciues receperant, & ad propugnandum opportuna parabant mira celeritate, ſummo ſtudio, diurnisque & nocturnis laboribus, vt quibus maior exitij quam vitæ ſpes erat & non niſi in armis ſalus. Eadem quoque curâ & in caſtris expediuntur neceſſaria futuræ oppugnationi. Et iam muros tormentis quatere parabant, cum interim exploratores quindecim Tur-

cim Turcarum millia venire docent, vt circumsessæ vrbi, (quæ iam debellata) quamprimum auxiliarentur. Quare eo intentiore animo expugnandæ arcis Iuonia ipse curam suscepit, hosti verò aduentanti Swiersczouium cuius virtuti plurimùm confidebat, obuium misit, octo Valachorum millibus attributis. Profectus iste præfestinans, inopinatum peregrè indipiscitur hostem, & strenuo impetu adoritur, tenebris ad hoc dilectis; editurque pugna rara, & nobilis, fortibus animis vtrinque decertata, cum Bassa cladis superioris gnarus, quæ haud absimilis erat turbatos circumire, hortari, vt sua quisque munia seruarent immoti, non desineret. Swiersczouius etiam nunc solus summis viribus in hostem ferri, nunc alios secum rapere, & hos dextra, illos clamore impellere, ac fortia facta suorum extollere itidem non omitteret. Fracti tandem Turcæ & spe animoq; destituti, in fugam fædam vertuntur, quorum mille tantum incolumes Thehinam peruenêre. Bassa ipso vix

non amiſſo, qui manu, voce, vulnere, diu ſuſtentabat pugnam, & iam à Kozaccis interceptus erat, ſed niſu corporis forti & impetu equi perſuaſit, & quos equorum pernicitas eripuit. Victor inde Swierſczouius ad expugnanda aduerſariorum caſtra vlterius pergit, vt eadem fortuna auctus incautos opprimere faciliùs poſſit ſed cum excaptiuis accepiſſet, multò maiores Turcarum copias inibi eſſe & Scytharum aliquot millia adeſſe, illos autem quos vicerat præmiſſos modo & præcurſores fuiſſe, continuò Brailouum ad Iuoniã miſit, vt arcis obſidione miſſa, quanta maxima poſſet celeritate huc ad ſe properaret, ſi ſtatum ſuum ſaluum eſſe velit. Quod vbi Iuonia ſenſit, properè inde mouit, in vna celeritate omnem victoriæ ſpem poſitam habens, & eo maximè, quod Scythas illic adeſſe cognouit, quorum omnis etiam bellandi ratio in ſola ferè celeritate conſiſtat, qua ſine vlla controuerſia facile omnibus gentibus pręſtant. Itaq; tenebris ac ſilentio feliciter vſus, nihil ſibi

ad ſe-

ad festinationem reliquum fecit, interque hostium castra & Thehinam cum exercitu consedit. Et Swiersczouius paullum è castris cum paucis digressus, vt hostium aciem & loci situm diligentius specularetur, postquam cuncta cognouit, reuersus continuò pugnandum suasit. Itaque signo sub solis exortum dato, prælium ingentibus animis committitur, atrox quidem & cruentum, vtrinque pro gloria, salute, & libertate, dubio marte dimicantibus, sed peruicit Valachus tamen, acriùs & audaciùs vrgens, ac viam strage hostium aperiens. Bassa verò cum permulti sui caderent perculsus; paucis in pugnantium speciem relictis, cum optima parte equitatus fugam effusam properauit. ne autem suus discessus similis fugæ videretur, ad cogendam cedentium Scytharum manum proficisci simulauit, quorum dux pugnæ initio, ante ora suorum volitans, cum fortiter præliaretur, à Sokolouio ductore Kozacco, lancea iugulum traiectus, è prælio semianimis excessit. Genitzari qno-

quoque Baſſæ abſentia (inter quos Imperatores locum habere ſolent) perturbati, ſeſe in fugam itidem coniecerunt, licet ægrè perfracti, deſperatio enim illis animos faciebat, neque tam vt mortem fugerent, quàm vt non inulti caderẽt, acerrimè pugnabant. quos Iuoniani equis proterentes, omnes prope ceperunt. Sed nil opus captiuis Iuonia dicebat, inſiſterent cædibus ne minimo parcens. fugientium autem alij in Syluas alij in arcem Thehinianam citatis equis ſeſe receperunt, quam vt expugnaret Iuonia ſubito caſtris hoſtium direptis, ſuadâ Swierſczouij ad muros ſuccedit, & ſcalas admoueri mæniaque tormentis verberare continuò imperat. Cæterùm oppugnatio ea acerrima fuit, cum etiam Turcæ tormentis variæ magnitudinis, & viris fortibus per muros diſpoſitis miſſilibus, pilis, & ſaxis, impetum à mænibus repellerent, & ne quis per ſcalas in murum euadere poſſet, ſumma ope contenderent, fæminis & qui ſupererãt imbellibus negotio dato, vt pugnantibus lapides &

des & tela miniſtrarent, Sed nauiter perumpere nitebatur Iuonia, quod oppidum ipſum magnũ atque opulentum erat, & magni profecto momenti ad bellum Turcis inferendum, nam Moldauicæ ſimul & Turcicæ ditionis ager, percommodè ex eo vexari poterat. Itaque dum acriter pugnatur, Hieremias qui Valachis præerat obequitans mænia, locum quendam neglectum, cuius propugnatores ad propinquum ſeſe tumultum contulerant animaduertit, iuſſitq́; extemplò proximis domibus ignem iniicere, qui vento adiutus magnam vrbis properè partem hauſit, & oppugnantibus viam interim patefecit, qui vulneratis aut cæſis maxima è parte defenſoribus, pluribus in locis vno ſimul tempore irrumpunt, fugitantesq́; per vrbem barbaros cædunt, ſolam internetionem gentis finem bello & victoram exiſtimans, ideoq́; nec fæminis, nec pueris parcũt, quorum fletibus omnia paſſim perſonabant, & clamore, lamentatione, eiulatu, plateas, aëra, cælum denique ipſum implebant.

plebant. Arx incolumis mansit, sed præfectus illius cecidit, qui magnum nomen in ducibus obtinebat, & multa ac præclara olim decora virtutis militaris obierat, & tunc vrbis tuendæ cura suscepta, per muros discurrebat, celerius eo opem afferens, vbi suos magis premi, & muros vehementius quassari viderat. Et quia arx illa propugnatoribus firmata, inexpugnabilis videbatur, ipse in obsidione Iuonia permanens, post tot suorum labores quiescendum illic aliquantulum instituit, arbitratus sola fame ad deditionem adigere posse, cum ingens multitudo bellatorum & imbellium oppido amisso, illuc se præ metu includerent. Swiersczouium autem cum sexcentis Kozaccis in agrum Belgradensem prædatū misit, qui citato gradu mouēs, protinus & omniū ferè animis ab expectatione illius auersis perrupit, ipsoque impetu effracta porta in oppidum irrupit, cum oppidani clade recenti suorum territi, vix prima impressione sustentata, proiectis armis sese fugæ mandarent,

& victor

& victor Swierſczouius tota vrbe peruagatur, rapit, ruit, ſternit, multiſque per agros cladibus editis, cum præda onuſta ad Iuoniam redit. Sed cum ex itinere accepiſſet, Turcas celeriter collectis diſſipati exercitus reliquijs, cum valida Tartarorum manu ſubſidio arci Thehiniæ aduentare, Moldauumque cum eo delectu quem poſt ſuum diſceſſum raptim cogere potuit, properè accelerare, vt iunctis ſimul viribus Iuoniã aggrederẽtur, cui ſinguli pares eſſe non poſſent. haud mora cum ſuis Kozaccis aduerſus illorum caſtra explorabundus contendit, & auſa fruſtrari volens media protinus loca occupare intendit. Cui tria Valachorum millia Iuonia in tempore ſubmiſit, ipſe nihilominus in arcis oppugnatione perſeuerans. His ille auctus, prælij fortunam æquo in loco tentare, priuſquam tantæ copię coniungerentur magno animo decreuit, inſtructiſq; ad pugnam quas habuit copijs, Valachos omnes in inſidijs locauit. Ipſe in aciem cum ſolis tantum Kozaccis progreſſus, eos pari
 nume-

numero in tres turmas diuisit, primam, in qua quadringenti cum scutis sclopetarij erãt hastatę aciei opposuit, secundam, quamin leuo cornu lanceis armatam statuerat, Tartaricam legionẽ à latere ferire iussit. dextrum ipse cornu arcu succinctus regit, & animosa audacia cõgressus, in os hosti intẽdit, insignemq́; pugnam primus omnium edit, nam sicuti ingenio vigilanti & acuto maximè pręstabat, ita ante alios ipse aspera adaucter aggredi, & pugnã impigre ciere erat solitus. At barbari paucitate audacius contempta, à tergo circumgrediuntur pugnantes, & viuos omnes vinctosq́; in perpetuam seruitutẽ abigere conantur; sed Valachi in insidijs locati, re ex vocibus cognita in tempore accurrunt, suos hortantur, & hostes pugna implicitos de improuiso inuadunt. Tum noua acie turbatus Scytha, illicò pedem referre cœpit, & fiduciam Iuonianis, terrorem Turcis (qui soli cum Genitzaris haud segniter restiterant) & consternationem auxit. diu tamen ancipiti euentu pugnatum;

tum; verum cum & ipsi nullis sustentati auxiliis vim diutius ferre non possent, laxissimis habenis sese in fugam coniecerunt: quos Iuoniani consectati, magnam eorum partem, & ipsum exercitus ductorem strenuè propugnantem ceperunt, quem ne in conspectum Iuoniæ Swiersczouius duceret, ter argento, bis auro, & semel vnionibus preciosis sui pondus in ęquilibrio redimere voluit, sed potior ei auro fides fuit, & reliquis trucidatis, cum ducentis præstantioribus ad Iuoniam deduxit. Qui illicò eum post interrogatos sermones, aggrestibus discerpendum incoram dedit. Cum autem nulli apparerent hostiles exercitus, dimissis Iuonia ad conquerendos & comportandos cõmeatus copijs, ipse neque labores neq; pericula detrectando, obsidioni arcis cum Kozaccis intendebat, vel minimam temporis iacturam, per incõmodam sibi ac periculosam existimans. Et ne interim valentior hostis accederet, Hieremiã cuius fideli ac forti opera superioribus bellis vsus fuerat,

cum tredecim Valachorum millibus, ad ripam Danubij castra metari præcepit, vt contra subitas hostium excursiones excubans, occulta saltuum scrutaretur, & transitu fluminis prohibēs in omnem rei benè gerendæ occasionem intentus animaduerteret. At Selimus clade suorum cōmotus, veritusq; ne tractum illum quem maiores sui magnis laboribus versus Danubiū occuparunt amittat, & Moldauiæ Palatinum sibi cum fratre Petro fidum, in periculum mittat, confestim Bassam cum validis copiis (ducenta millia erant) in Valachiam misit, vt & Iuoniam bello lacesseret, & adhærescentes sibi Dacos. Is quum sciret Hieremiam, dimissis longius speculatoribus ad ripam Danubij axcubare, nihilo sequiùs cęptū iter persequutus, misit qui clàm animum illius explorarent, & de transitu liberò paciscerentur. Et ecce enimuero auarus iste pollicitationibus captus, concessa transeundi facultate ipse ad eos se cōtulit agitaturus. acceptisq; à Bassa triginta aureorū millibus, omnis

huma.

humani iuris ac diuini oblitus, per saltus atque aditus custodes disponi iussit, ne quis è suis ad Iuoniam iret, à quo hostes aduenisse certior fieri posset. quod tamen scelus haud multum diu impunè tulit. & cum iam omnes fluuio superato in tuto essent, ipse Thehinam ad Iuoniã profectus, grandem exercitũ, & cui in arcendo flumine haud par erat, aduenisse denarrat. Et hic ad quæquæ difficillima promptus & animosus, relicta obsidione suos arma expedire, & itineri accingere continuò iubet; coactisq; per viam quas dimiserat copiis & aggrestibus, obuius ad hostem pergit, vniuersi certaminis fortunam subiturus, atq; ideo haud procul ab hostium castris, castra sua in aperto communit. Ad quem Kozacci aduersariorum numerum ignari, & velut dolum adorati (cum haud satis fiderent Hieremiæ quod Valachus gente & natura mutabilis esset) cuncti conueniunt consultaturi & sciscitaturi, Tum primus ad eum Swierszouius *Quicquid à fideli milite, & tuis beneficiis obstricto exi-*

cto exigi expectarique o Iuonia potuit, id totum constanter bonaque mente præstitimus, idem & hodie ac postea repræsentaturi, adeò, vt non nisi per cadauera nostra gressurus, hostis tuus Valachiam inire possit. sed hoc vnum superest nobis, vt consilia, artes, situm, atq; numerum hostium nobis denarres, ne fraude circumuenti, (licet minime mors horrida nobis) velut brutis similes pereamus. Proinde si quid ex obseruatoribus didicisti aut faciendum animo proposuisti, ne sile. nos summa fide satagemus, quod & cunctis necessarium & vtroq; sit dignum. Admiratus Iuonia fidem & osculatus affectum lacrimas præ gaudio cum multis suspirijs effudit, & *O milites, virtutem ego vestram tot casibus expertus, in periculum mittere, nec cupio, nec bona conscientia possum, qui vltrò in commilitium venistis, fidis sudoribus seruistis, & tot bellorum superstitem atq; incolumẽ patriæ censeruastis; proinde virtuti vestræ fisus, ne minimam quidem rem absq; consilio vestro facere volo sed addo, vita mihi mea vos cariores esse; nec enim minus arcto vinculo*

culo

culo anima hæc, corpori illigata est, quam affectus vobis. De hostibus autem hoc exploratum & satis compertum habeo, non amplius quindecim millia in armis esse, & dato quod duplo plures sint. poterimus tamen eos Deo bene iuuante proturbare & propulsare à patria nostra, sed non esse plures, certò ex Hieremia cognoui, cuius fidem & virtutẽ in multis, magnisq́; difficultatibus probatã habeo, qui cũ illis quibus præest copiis breui hucveniet, de omnibus significaturus.
Non acquieuit Swierſczouius, ſed cẽſuit illa die à prælio continendum, donec ipſe explorabundus adiret, & interim in caſtris faciendo prælio neceſſaria, ſumma cum diligentia compararentur. Probato Iuonia illius conſilio, cum ſex Valachorum millibus & Kozaccis clancùlum dimittit, & ipſe aggreſtiũ manum quanto poteſt maiorem comparat, & ducibus ac tribunis cõuocatis imperat, vt quam maximo ſilentio cum exercitu inſtructo de ſecunda vigilia ad ſigna adſint. Swierſczouius verò per noctẽ citato equi-

te profectus, & Turcarum ſtationem in qua ſex haſtatorum millia erant, itinere maximè occulto adortus, ad primum adſpectum diſſipauit, quorum quanto conſpicui magis propugnatores erant, tanto pluribus vulneribus trucidati, vnus modo captus lethali vulnere ſauciatus, & à quo minime in neceſſarijs Swierſczouius doceri poterat, ſed homo ſagax, ex ipſa quam deturbauerat ſtatione, grandem multitudinem coniectatus, quid futurum præuidet, & ad Iuoniam extemplò regreditur, monens & monſtrans quomodo Hieremiæ fidere debeat. Sed animoſè Iuonia, *bono*, inquit, *animo Swierſczoui eſto, neq; te fraude aliqua circumuentum putato, nam ego ſcio cui me resq; meas committo, & etiamſi multitudo aliqua aſsit, nihilominus tamē eam mox numeratum ibimus; nam ideo ego arma in hoſtem ſumpſi, & huc cum copiis aduolaui, vt ſanctiſsimam* CHRISTI *religionem ac patriam meam, vel vitæ huius periculo à tyrannide defenderem.* acceptisq; cum Swierſczouio trecentis

Kozac-

Kozaccis, ipſe exploratum luce prima digreſſus, & in colle quodam eminentiori caſtra hoſtium contemplatus, grandes quatuor ſtationes per conualles animaduertit latitantes, amplitudinem verò aut magnitudinem caſtrorum, perſpicere haud poterat rupibus viſum præpedientibus. Nihiloſequiùs tamen ad ſuos reuerſus ordines diſponit & acies audaces producit, iuſto prælio quod maximè auebat decertaturus. Et deſcenſum eſt ab eo in certamen cum triginta Valachorum millibus, & mille ducentis Kozaccis, quos omnes in acies triginta locauit tormentis colubrinisq́ue adhibitis ſingulæ cohorti, & ſiniſtro cornui Hieremiam inſidiarum cõſcium præfecit, nolens ab alienare amicum ob criminationes Kozaccorũ, inter quos ipſe dextram alam regebat. Nam gregarij pedites, qui pro caſtris inſtructi totum agmen claudebant, & valido ſubſidio (viginti millia erant) equitum acies firmabant, nequaquam Iuoniam ducibus aut regulis ſuis committere voluerunt, ſed vel

inter ſe habere, vel quibus magis fidebant inter Kozaccos eſſe. Cum quibus dum ille hoſtium ordines ſpeculabundus obequitabat, numeroſſiſſimum agmen coſpicatus, ſcelus Hieremiæ agnouit, & ſeriò in iram datus properè eum accerſire iuſſit; ſed excuſat ille, & primam ſibi cōgrediēdi ſortem obuenire dicit. miſit ſecundo; & Turcæ interea prælium vti pepigerant cum illo commiſerunt; iamq; haſtas confoſſuri vibrabant, cum ille expacto ſigno deditionis prolato, tranſitionem cum ſuis extemplò fecit, & victoriam quæ certa & plena videbatur mala ſorte peruertit. Hoc vbi primum gregarij conſpexêre, protinus ad Iuouiam accurrunt omnes & abſtinendum prælio cedendumq́ue fortunæ ſuadent, ſed animorum plenus ille, occanere tubas & concurrere acies imperat, primusq́ue ipſe Nomen IESV de mòre Poloniæ alta voce inuocato, ad confligendum audacter progreditur. Cui Turcæ pro ingenio & meritis, illos ipſos cum Hieremia transfugas deſcēdenti opponunt,

ponunt, & renitentes à tergo cogunt, vt quos deceperant cupidine auri, illis ipsis pænas dent vlturis in loco eodem. Quos Iuonia conspicatus, omne tormentorum genus ac sclopetorũ explodere iussit, atq; adeo fædissimam stragem in illis edidit vt obstãtibus cadaueribus, cæteris aciebus locus non esset congrediendi. quocirca remotis paullùm legionibus Kozacci, quorum Ductor Swiersczouius acies circumibat, & singulos duces de officio commouebat, ac omnes ad decus vehementer excitabat. in dextrum latus impressione acriter facta, conlato gradu certamen inière, Valachi quoque à fronte fortibus animis conflixêre. Et pluribus simul in locis committitur prælium, vario euentu, varia spe, & vario militum adfectu, cum hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium, omnes tamen pro victoria & Principe summa alacritate pugnant. Cum autem paullùm acrius insisterent Valachi, subducere se Turcæ ac cedere sensim cæperunt, vt instantes tergo pertinaciùs in

insidias traherent, inque globum coactos machinis exponerent. Sed odoratus dolum hunc Swiersczouius Valachos vrgentes retinuit, & vt se continuò reciperēt adhortatus est. At barbari conatù suo frustrati, indignatiq; cum nouis & recentibus subsidijs incurrunt in abeuntes, & machinis vano nisu excussis, in confertissimū illati peditem, nouam rursus conserunt pugnā. Sustinent isti procurrentem paganum ingentibus animis, cædem faciunt, & multa vtrinque vulnera edunt. ex hoste plures cadunt è Iuoniæ nis equi hastarum ictibus non pauci confodiuntur, sed & pedites pectoribus equorum proteruntur. Iuonia vbi fluctuare suos videt, cum globo lectissimorum, & Kozaccis, quos ad pugnæ difficillima parauerat, properè accurrit, & pugnam redintegrat milites cohortatus, non voce solum aut imperio, sed gladio etiā & manibus, præclara virtutis exēpla ipse pro laribus atq; focis pro religione & libertate incoram omnium præbens. Nec minus à Bassa & Turcarum

rum ducibus ſubſidia mittebantur. Valachiq́ue pauci in plures paulatī fatigari aut cedere, multi cadere ceperūt, fortuna magis quam virtute deſerente, cum cāpus puluere impeditus adimeret proſpectū, adauctus fumo machinarū, quibus tonantibus nullo modo iuſſa imperatorū accipere, aut ſigna præuia videre poterant. Iuonia itaq; cum neceſſitatem aut difficultatem extremam ſine ſpe effugij videt, iubet ad machinas quoad tuto poſſent recedere ſuos, ratus harum eiaculatione (quem aſtum primo conceperant Turcæ) hoſtes comminui poſſe. Itaq; nunc ſenſim cedendo, nunc acri conatu hoſtes repellendo faciunt iſti, & Turcæ itidem inſidias ſuſpicati à perſequendo ſubſiſtunt; prorupitq́ue interim tanta è nimbis pluuia, vt repentè ſuffunderet Iuoniæ tormenta, quæ illi magno vſui erant, & apparuit Valachorum admodum exigua manus, & terræ facies maximè fæda, truncis, cruore, cadaueribus. Igitur Baſſa Dacorum paucitate conſpecta aut deſpecta, recentes in eos Tartaro-

tarorũ turmas immittit, his protinùs Genitzaros cum æneis tormentis ſummittit, quibus illi validi, tantum ferreæ grandinis in aciem ſunt iaculati, vt promiſcuè Dacos & Tartaros in acie ſternerent ictibus, modo victoria penes ſe integra, licet cruenta maneat. Iuonia tamen nihilominus ante ſuorum ora volitare, animum addere & fiducia implere nõ deſinebat, licet multi ad latus & tergum occiſi eſſent, omniaq́; ictibus peruia manerent. Sed Fatum aliunde ſtetit equitesq́; ſui circumfuſa Tartarorum legione acrius preſſi, & tormentorum globis diſiecti, cum nulla haberent ſubſidia ſaluti fuga conſuluerunt, Iuoniamq́ue ipſum in acie deſeruerunt. Solus ſe non deſeruit, cum immoto gregario agmine & ducentis quinquaginta Kozaccis, (cum cæteri fortiter procubuiſſent in acie) ad quos animoſè *Nunc video viri fortiſſimi, in quem nos caſum flagitium Hieremiæ perduxerit, quo & ipſe inglorius occubuit & nobis fortè finẽ exitus attulit; ſed vbi capita veſtra procumbent,*

illic &

illic & meum iacebit, animæ in cælum beatæ migrent. Ad ea Swierſczouius: *Nulla mors o Iuonia formidabilis nobis, qui tota vita vltrò eam quærimus, & ſummis votis appetimus, in acie pro CHRISTI Dei glorioſo nomine mori. Quod tamen priusquam eueniat nobis, nunc hoſce perfidos canes, facto agmine inuadamus fortes.* Et mox Kozaccis equis deſilire iuſſis, aggreſtibus ſe iungit, ne, ſueta velitatione hoſtem cũ laceſſeret, peditum ordinem equis perturbaret, cum quibus impetu ingenti prælium occipiens mox Bõbardarios hoſtium in fugã cõiecêre, & obtinuêre tormẽta, quorum non cõtemnendę magnitudinis vnũ ſolus Iuonia traxit: ſed arctius equorum impulſu præſſus, quia huic incõmodo opitulari nequiuit, reliquit omnia puluere ſulphureo vt diſrumpantur repleta. & ipſe animorum & ſpei plenus, nihil ſegne, nihil remiſſum agi ſinebat. Et cum pręter modum mortis contemptor eſſet, maximo animo facinora in armis edebat, ad milliareq́; vnicum cum aggre-

ſtibus progreſſus, qui & pugnabant ſimul, & procedebant, ſubſtitit cum iam Sol in occaſum præcipitaret, in loco villæ inſtammatæ, & circumuallauit ſeſe, ſed ob aquarum inopiam minimè tuto, feſſis ac pæne enectis ſiti militibus, qui ad horam ferè nonam continenter in acie dimicarunt. Baſſa itaque reuocatis qui perſequebantur fugientes Valachos ſuis, extemplò circumfuſis copiis obſidere Iuoniam ſtatuit, & ne quis ingredi, egrediuè poſſet, aut commeatus quicquam importare, attentiſſima cura tormentis adhibitis prouidebat, proximis domibus quia luna minimè per nox erat igne iniecto. Poſtridie verò exorto ſole pugnā atrocem cōmitti imperat, quæ triduo indeſinenter durabat, ne nocte quidem obſeſſis ſpacio ad quietem dato; ſed ſtrenuè cunctis pro vallo & foſſa propugnantibus, & Kozaccis extra munitiones aſſiduè procurrentibus, perumpere aut inrupere nullo modo poterant, qui in ſola virtute ſalutis ſpem repoſitam habens, adeo pertinaci-

bus o-

bus odijs decertarunt, vt licet omnes ſauciati eſſent & fame confecti, nullus tamen locum in quo conſtiterat deſereret, ſed obligatis continuò vulneribus ſuccedentes telis, pilis, & ſagittis proturbarent. Cæterùm longius prælio procedente, omni bello & calamitate grauior fames vrgere obſeſſos & feſſos cæpit, & ſiti triduâ inediâq; confecti, cum omnes inſomnes ducerent noctes, viſi ſunt pugnare aliquanto remiſſius, ſed nihil æquè quam ſitis pallentes fatigabat. Itaq; erigente cum Swierſczouio Iuonia vnum id afflicti remedium decreuere, *mori pro patria & religione*, pugna extra vallum commiſſa, ſic vt ne vnus quidem victus & vinctus in hoſtium manus veniret. Obſtupefecit ea alacritas & virtus Baſſam, ideo miſſis ad Iuoniam qui veniam nunciarent, ſuaſit cum nulla ſe ratione tueri poſſet, potentiori obtemperandum, & fortunæ tempeſtatique concedendum, ac ne diutius afflictari miſeram plebem pateretur, ob ſolam virtutem illius, ſciret manſuetiſſimum ſe cun-

 ctis fu-

ctis futurum. Iuonia audito nomine plebis, à qua vnice amabatur & amabat, habendam rationem illorum duxit, ne fæda occidione occũbant, tot laboribus & fame enecti, quam diutius herbis ac radicibus teneris intra vallum consumptis ferre haud potuissent. Igitur cum conatum omnem frustra esse pro libertate videret, prodijt vallo hisce conditionibus depactus, vt Kozaccis quò vellent libera abeundi potestas esset, & ipsum incolumem Constantinopoli sisterent. Aggrestium verò nullam mentionem fecit, sed eo ipso dari veniam putauit, quod trucidare deditos sæuum, & Principi damnum, cũ tam fertilis prouincia diu inculta maneret. Iuramento itaque recepto, cum Kozaccis vallo egressus talibus sibi obuios Turcas affatur. *Siquidem ita superis visum, vt hodie ego in vestris manibus essem, resistere fatis nec possum nec audeo, sed quæ illa voluerunt victus pareo. Diuinitas enim profundo consilio hunc ordinem disponit, ditat, euertit, sublimat, adfligit, & rursus in melio-*

meliorem fortunam quem constantem aut supplicem videt restituit. Quarè cum præsentem sortem meam intueor & altius considero, iustè mihi Deum meum subiratum esse inuenio, quem tot vitiis cupidine dominandi scelestus offendi, futilia Machumetis vestri deliria ineptiens, vt sese modò in gratiam Principis, à quo Imperium, insinuarem: sed quia inuitus amisi, quid mirum? fortunæ hæc iniuria est. Vobis victoribus obedio, & per numen aduocatum Machumetemque vestrum rogo, vt bona fide conditiones expleatis pactas, maximè vero vt hosce fortissimos milites, securos ad penates abire permittatis, quibus si ob virtutem egregiam infensi estis, in meo capite vlciscimini iniurias. Tum ad adsistentes eos, *Pro vestris fratres summis in me beneficiis & laboribus, vltimas hodie gratias ago, sed præmium nullum præsto; verùm si me patria (quod non dubito) reducem Selimo annuente videbit, æternum exemplar obsequij & remunerationis ero. Nunc autem idipsum præmij capite, quod ad vltimum vitæ spiritum, memoria vestri in*

pectore meo durabit. Ad ea Swierſczouius: *Vtrumuis horum eueniat, Magnanime Iuonia, nos tamen ſpiritum antequam vltionem amiſſuros ſcito: nam ſeu ſolita ibi barbarorum perfidia concides, nos per memoriam tui obteſtamur, non deſituros à bello, donec ipſi fato eodem iniquam vindicando mortem ſuccumbemus: ſeu etiam incolumis, quod maximè auemus, in patriam (cuius eximia hæc in te & ſincera pietas eſt) reuenies, vltimum nobis vitæ finem tuæ ſortis vltio adferet. Nunc verò cede Deo, cede tempori, & teipſum orbitâ firmatum, mollioribus & melioribus fatis reſerua.* Dixerat, & ingenti luctu exoſculatus dextram, cunctis ſuſpirantibus contingēdam de ordine monſtrat. Tum ad ducentos paſſus Iuonia ab ijs progreſſus, reliquā multitudinem vallo cum lacrimis educit, & laudibus gratibusq́ue pro conſtantia veneratus, ſupremū vale edicit. Et reuerſus iterum ad Kozaccos quicquid apud ſe ex vnionibus precioſum habuit, totum eis diſtribuendū dedit inquiens.

Malo

Malo hæc apud vos, commilitones mei relinquere, quam his perfidis canibus inuitus dare, quorum nefariæ pedes nequam hoc patrium meum solum calcarent, si vestrum numerus mihi esset paullo prægrandior, vel ad summum illi superuixißent mille, quos licet illustris acies sustulit, tamen præmaturo exitu eripuit mihi. sed quia eripuit & me quondam florentem comminuit, frustra questus & dolores, cum ipsi talem prouocauimus indignationem Dei, cuius fatis seu decretis necessario est parendum. exoptandumque vt salui & incolumes tandem vos ad penates vestros, ego ad Princ pem meum deuenire valeamus. vnde numine eodem adiutus iterum imperium hoc capere non dubito, vobisque & inclyto Polonorum nomini addictus, hanc gratiam promereri spero, quorum fidam constantiam, & inuictum robur, tot bellis & tot periculis sum expertus in vobis. Moxque vilem penulam indutus & vnico Polono (Osmolski is erat) comitatus, hostium castra ingreditur inermis, à quibus ad Prætorianos perductus, militariter & nullis precibus miseri-

miſericordiam requirens Baſſam ſalutauit, cum quo Turcica lingua circiter quatuor horas collocutus, cum voce acerbiore læſiſſet, graui vulnere ab ipſo percuſſus, in terram collapſus eſt, & iacenti circumſtantes Genitzari caput illico amputarunt; quod poſtea in haſta alta ſuſpenſum, ad terrorem & fidem circumtulerunt. cadauer verò ipſum Dromedarijs adligatum, & dilaceratum bifariam, milites in fruſta conciderunt, cruorem telis contingentes ſeu intingentes, quo tales & ipſi bellatores euadant. Poſtea in gregarios ſignum prorumpendi datum, qui hortante & erigente Swierſczouio vt in aperto, belli iure non inulti caderent, inſignem ſtragem in hoſte fecerunt. Cæterùm occupato à Genitzaris vallo quo ſeſe recipere adnitebãtur, omnes in veſtigio mori, quàm inſeruitutẽ abduci maluerunt, Swierſczouius etiam vt cunque res caſura eſſet, in confertiſſimum agmen cum ſuis Kozaccis illatus, omnibus amiſſis ipſe cum duodecim præcipuis captus eſt. Quorum egregiam virtu-

virtutem hostes etiam ipsi cælo ferebant. sed intulit Deus, iustus arbiter & munerator meritorum, pro cuius illi glorioso nomine sanguinem fundere non dubitârunt. Swiersczouius verò Constantinopolim ad Selimum deductus, liberali stipēdio cum suis commilitonibus ad belli gerandū in Cappadocia contra Persas inuitabatur. & renuentem grandi pecunia Zaporozenses eliberarunt. Valachiam verò Petrus continuò inuasit & vi tenuit, sed reuera non pro spe rexit, à Kozaccis temporibus Stephani, optimi fortissiimique Regis multoties expulsus, & ab eodem ac Bathoreis sæpiùs restitutus.

FINIS.



AD SERENISSIMVM PRINCIPEM CAZIMIRVM Potentissimi Regis Poloniæ SIGISMVNDI III. FILIVM

Epigramma

NICOLAI ZORAWSKI.

VIrtutem vnde petas, fateor quod grande Parentis
Magnanimi, exemplar pulle Leonis habes.
Seu tu scire cupis. populos quâ dirigat arte,
Enses Mauortis cùm siluêre feri.
Bellator sequitur vel quando castra, Smolenscum
Expugnaturus, sub dole Moschetuum:
Sed tamen, antiquos atauum memorare triumphos
Quid nocet? hoc virtus viuida calcar habet.
Fortunate, viris tot nate illustribus, hostes
(Omen habe) vertent terga superba tibi.



Eiusdem
AD AVTHOREM.

ARmatas acies, & structa in prælia castra,
Quòd STAROWOLSKI scripta tua ista sonent,
Non miror, genti vestræ mos vincere Regem
Obsequio, & meritis condecorare fuit.
Vt taceam patrem, iuueni cùi Regis in aulâ,
Fecit olorinum, tarda senecta caput.
Vt taceam fratres, vario qui Marte perempti,
Monstrauêre suis, Regibus obsequia.
Dignus sed Samuel, cum forti Joanne referri
Inter stellati sydera laude poli.
Quorum alter, Regis qui nunc dominatur, ab hoste
Vexillum ereptum, detulit ante pedes.
Alter deuictum, duro certamine Turcam,
Sulfureas Erebi iussit adire domos.
Hos quoque, tu sapiens SIMON, stimulatus amore
Virtutis fratrum, Regia gesta refers:
Perge alacer, gladio nam non modò gloria parta
Esse solet, calamo sæpiùs illa venit.





Rerum Contentarum INDEX LOCVPLETISSIMVS

A.

B.

C.

Miedzy-

Q.

R.

S.

T.

Sit laus omnipotenti Deo.



